


# PALAESTRA LATINA



N. 221 — ANN. XLIII — FASCIC. I  
M. JAN. — APR. A. MCMLXXIII

# PALAESTRA LATINA

## LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII CAESARAUGUSTAE EDENDI

### COMMENTARIORUM CONSILIUM

<i>Praeses:</i>	J. M. Ciller, CMF.
<i>Moderator:</i>	M. Molina, CMF.
<i>Administrator:</i>	H. Arenas, CMF.
<i>Curator technicus:</i>	J. Aspa, CMF.
<i>Praecipui scriptores:</i>	J. M. Mir, CMF. - J. M. Jiménez, CMF.

MODERATIONIS LOCUS cui mittenda sunt scripta:

Colegio Menor — CALATAYUD (Zaragoza - España)

ADMINISTRATIONIS SEDES cui pretium mittatur oportet:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

### PRETIUM SOLVENDUM

- pro commentariis quotannis edendis:

— in Hispania	constat	100 pesetis
— in America Hispanica		100 pesetis
— in Gallia		12 francis
— in Italia		1400 libellis
— in Germania		10 marcis
— in Anglia		20 solidis
— in reliquis civitatibus		3 dollaribus
- pro serie integra cujusque superioris anni:  
125 pesetis constat in Hispania.
- pro quoque fasciculo qui separatim venit:  
30 pesetis in Hispania constat.

M. JAN. — APR.

A. MCMLXXIII

221

ANN. XLIII

FASCIC. I

PALAESTRA  
LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

SOCIIS CLARETIANIS TER IN ANNO EDENDI

# I N D E X

N. 221 — ANN. XLIII — FASCIC. I

M. JAN. — APR. A. MCMLXXIII

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F., <i>De libro Alfonsi Lupeji Cureleani «De vini commoditatibus» Caesaraugustae anno MDL edito ...</i>	3
TH. CIRESOLA, <i>In captivitate Petri ... ..</i>	19
J. MARINELLI, <i>De astronavis «Apollo XVI» itinere ... ..</i>	25
A. GRISART, <i>Quaedam nova de Caesare inter Scaldim et Rhenum bella gerente ... ..</i>	31
ACTUARIUS, <i>Seminarium linguae latinae colendae et exercendae.</i>	38
<i>Ex actis Certaminis Capitolini XXIII ... ..</i>	39
<i>VI Conventus Studiorum Classicorum Internationalis ... ..</i>	40
H. DE FRANCO, <i>Julia ... ..</i>	41
J. JIMÉNEZ, C. M. F. - M. MOLINA, C. M. F., <i>Bibliographia ... ..</i>	51

DE LIBRO ALFONSI LUPEJI CURELEANI  
“DE VINI COMMODITATIBUS”  
CAESARAUGUSTAE ANNO MDL EDITO

Alfonsus Lupejus<sup>1</sup>, qui dicitur Cureleanus, quia Cureleae (nunc *Corella* in Navarra dictione Hispanica), circa annum MDXIII natus est<sup>2</sup>, in patria artem medicinam per multos annos exercuit, ibique et Turiasione (nunc *Tarazona*), ad Caunum Montem (vulgo «Moncayo» dictum ex nivibus fere perpetuis), nonnullos libros scripsit, ad philosophiam et medicinam praesertim spectantes, minime dedignandos. In quibus numerandus est libellus cui titulus est «De

---

1. ARRESE (José Luis de), *Art. religioso en un pueblo de España* (= *Corella*, Navarra). Madrid, Consejo Superior de Investigaciones Científicas, 1963, in-8.º (24 cm.), 622 pp. et multae imagines. Clmus. vir Arrese de arte religioso in civitate *Corella* (Navarra) in hoc opere fuse et luculenter disserit; ibique nonnulla quasi per transsennam, de Alfonso Lupejo Cureleano, nobili genere orto, affert, quae curiositatem simul et admirationem in me excitarunt. Cum ampliore illius viri notitiam quaererem, Bibliothecam Universitatis Salmanticensis investigandi causa adii, ubi opus cui nomen est *De vini commoditatibus*, Caesaraugustae anno MDL editum inveni, quod mihi opus ita placuit ut de eo altius investigare et aperte de eo agere decernerem; sed, variis detentus negotiis officiisque, consilium assequi nondum potueram, donec «Primus Conventus Internationalis Studiis Latinitatis Humanisticae Provehendis», Lovanii, superiore anno habito, ansam mihi praebuit, ut de eo primum agerem.

2. Cum testimonia et voces de anno et die nativitatis Alfonsi Lupeji non sint inter se concordia, neque ulla exstent monumenta scripta, ex conjecturis annum MDXIII proponere ausus sum, rationibus quas nunc explanare non licet. Duas Cureleanas paroecias adii, quae ab anno MDLVI in civitate Curelea exstant, sed frustra in earum tabulariis quaesivi Alfonsi Lupeji nativitatis vel baptismi diem. Desunt in primo baptismorum libro paroeciae Sanctae Vir-

vini commoditatibus», Caesaraugustae anno MDL editus. Quod opus, parvae quidem molis, magni tamen pretii est atque momenti, cum ex re de qua agit, tum ex ratione eam tradendi, tum ex quaestionibus quae in eo de industria vel quasi per transennam evolvuntur, tum denique ex numero atque auctoritate scriptorum tam antiquorum quam recentium, quibus Lupejus fuse atque sollerter doctrinam atque opiniones illustrat atque confirmat.

Sed priusquam de laudato libro fusius agamus, nonnulla summam praemittenda censemus de auctoris vita, operibus, praestantia.

## I. QUIS FUERIT ALFONSUS LUPEJUS CURELEANUS

Alfonsus Lupejus Cureleanus scriptor est saeculi XVI, multis quidem fere ignotus, sed revera magna laude dignus. A suis magno in honore habitus atque auctoritate, dignitate praeditus, Turiasione ultimos vitae annos duxit ibique anno MDLXXXIV mortuus est. Ejus testamentum exstat, testimonium fidei christianae, laboris, amorisque in suos omnesque sibi vel sanguine vel amicitia conjunctos<sup>3</sup>.

Nonnulli de eo deque ejus operibus scripserunt, sed non omnia nec in omnibus rebus concordant testimonia<sup>4</sup>. Nostrum non est de

---

ginis a Rosario prima folia, unde prima baptismata in eo descripta respondent anno MDLIX, quae Sebastianus Martínez de Baños, Lupeji Cureleani nepos, ex Maria sorore filius, primus illius ecclesiae parochus, diligenter, clara elegantique scriptione recensuerat. Testimonia quoque dissonant cum de aliis adjunctis hujus clari viri vitae agitur. Disquisitio desideratur, quae accurate de vita Alfonsi Lupeji operibusque inquirat, in qua quae adhuc dubia atque incerta manent scientifica methodo solvantur atque confirmentur. In paroecia vero Sancti Michaelis, quae prioribus saeculis Cureleae una fuit, acta baptismorum non nisi ab anno MDLVI recensentur. Ad hoc refert quod Jiménez Duque scribit, cum de Sancta Teresia loquitur: «Los libros parroquiales con actas de bautismo y demás no eran corrientes en España antes del siglo XVI... En toda la diócesis de Avila, el primer libro de bautismos comienza en 1527 y es de la parroquia de Sto. Domingo de Avila.» Cf. Baldomero Jiménez Duque, *Tiempo y vida de Santa Teresa*, RET (= Revista Española de Teología) 30, 1970, 311.

3. Testamentum Alfonsi Lupeji ad manus habeo, Turiasione (nunc Tarazona) die XIX; mense Januario, anno MDXXXIV a tabulario Petro Pérez, testibus Sebastiano de Baños et Petro Pérez Manrique, conditum quod mihi benigne Josephus Aloisius Arrese, per Augustinum Fernández Virto amicum carissimum, obtulit, quod est et egregium testimonium pietatis, prudentiae, caritatis praesertim in pauperes, immo et illius tanti viri vitae summa seu curriculum.

4. En tibi scriptores qui praecipue de Alfonso Lupejo Cureleano egerunt, chronologico ordine dispositos: NICOLAUS ANTONIUS, *Bibliotheca Hispana Nova sive Hispanorum scriptorum qui ab anno MD ad MDCLXXXIV florere noti-*

ejus vita criticam disquisitionem inire, sed tantum de libro cui nomen est «De vini commoditatibus» pauca referre. Sufficiat tamen ut aliquam de eo notitiam proferamus, ea primum memorando quae clarus vir Nicolaus Antonius in «Bibliotheca Hispana Nova» de eo tradit<sup>5</sup>:

«Alfonsus de Corella, alias López de Corella, Navarrus, ab oppido forsan cognomine a quo dictus est Coreolanus<sup>6</sup>, postquam

---

tia. Matriti, 1788, Tom. I, p. 20: Alphonsus de Corella. — A. CHINCHILLA PIQUERAS, *Historia de la Medicina Española*. Valencia, 1841. Tom. I, pp. 429-436. — ANTONIO HERNÁNDEZ MOREJÓN, *Historia bibliográfica de la Medicina Española*. Madrid, 1942. Tom. II, p. 133: Tabardillo (= A. López de Corella); pp. 335-339: Alfonso López de Corella. — JOAQUÍN DE OLMEDILLA, *Notas biográficas referentes a Alfonso López de Corella*. Madrid, 1910, in-4.º, pp. 1-16. — EDUARDO GARCÍA DEL REAL, *Biblioteca Médica de Autores Españoles y Extranjeros*. Madrid, 1921, pp. 234-236. — JOSÉ A. SÁNCHEZ PÉREZ, *Alfonso López de Corella, médico español del siglo XVI, prototipo de cultura española de su época*. «Anales de la Universidad de Madrid». Ciencias, I, 1932, 74-101. — ANTONIO PÉREZ GOYANA, *Ensayo de Biografía Navarra*. Burgos, Aldecoa, 1947, Tom. I, pp. 78-81. — JAVIER IBARRA, *Ilustres Navarros del siglo XVI*. Pamplona, 1951, pp. 138-140. — SANTIAGO LARREGA NOGUERAS, *Aulas médicas en Navarra*. Crónica de un movimiento cultural. Pamplona, 1952, p. 40. — ANTONIO PALAU DULCET, *Manual del librero Hispano Americano. Bibliografía General española desde la invención de la imprenta hasta nuestros días*. Barcelona, Librería Palau, 1954, Tom. VIII, p. 634. — SANTIAGO LARREGA, *Apunte biobibliográfico sobre Alfonso López de Corella, siglo XVI*. In: «Archivo Iberoamericano de la Historia de la Medicina y Antropología Médica», IX, 1957, 293-295. — AUGUST HIRSCH, *Biographisches Lexikon der hervorragenden Aerzte alter Zeiten und Völker*. München-Berlin, Verlag von Urban und Schwarzenber, 1962, Bd. I, p. 112: López, spanische u. Alonso López. — JOSÉ LUIS DE ARRESE, *Arte religioso en un pueblo de España*. Madrid, 1963, p. 209-211. Breviter nonnulla affert clarus auctor de familia Alfonsi Lupeji deque ejusdem momento. In aliis, haec notatu digna habet: «Menéndez Pelayo dice que la obra de López de Corella sobre el tabardillo (*De morbo pustulato sive lenticulari quem nostrates «tabardillo» appellant*. Caesaraugustae, 1574) es la primera monografía de esta enfermedad», p. 209 (Cf. Menéndez Pelayo, *Ciencia Española. Inventario bibliográfico*); et postea, eadem pag. 209, addit: «el Marqués de Zigarral, para hacer ver que todo el que se precie de instruido debe conocer por lo menos ciertas cosas y ciertos autores, dice que ese conocimiento debe consistir en 'su poco de universales y materia prima, su bañito de *Essentia Dei* y por último Larraga y Corella». (Cf. Caxon de sastre Cathalan, p. 197. edit. Figueras, 1762). — JOSÉ LUIS DE ARRESE, *Obras Seleccionadas*. Tomo II. *De Arte y de Historia*. Madrid, Editora Nacional, 1970; pp. 1243 - 1718 *Colección de biografías Corellanas: Alfonso López de Corella*, pp. 1513-1518. — JOSÉ JIMÉNEZ DELGADO, Alfonso López de Corella y el «De vini commoditatibus», in: «Cuaderno de Historia de la Medicina Española», Salamanca, 1972.

5. NICOLAUS ANTHONIUS, *Bibliotheca Hispana Nova*. Tom. I, p. 33. Matriti, Ibarra, 1783

6. In editione Caesaraugustana Alfonsus, non Alphonsus; Cureleanus, non Coreolanus, ut vult Nicolaus Antonius, nominatur; quidam vero auctores eum Alonsum vocant, potius quam Alfonsum; nos vero, cum editione Caesaraugustana, Alfonsum Cureleanum religiose nomen retinemus; nec immerito,

in Complutensi Academia professor fuisset<sup>7</sup>, magna cum laude doctrinae ingeniique, Medicinam Artem in patria (id est in civitate cui nomen est Corella) evocatur publicis expensis medicinam facturum<sup>8</sup>, ubi et Turiasione manens plura scripsit.»

Ipse Nicolaus Antonius, postquam haec pauca de vita Lupeji nostri protulit, notitiam operum illius praecipuorum hac ratione tradit:

*Annotationes in omnia Galeni opera.* Caesaraugustae, 1565, fol.; *Matriti*, 1582, in-4.<sup>o</sup> — *De morbo pustulato lib. unus.* Valentiae, 1581, in-4.<sup>o</sup><sup>9</sup> — *Enchiridion seu Methodum Medicinae*, Caesaraugustae, 1549, in 12.<sup>o</sup>; Valentiaeque, 1581, in 16.<sup>o</sup>; quod opus

---

nam civitas quam *Corella* hodie nominamus, prius fuerat *Curelea*, id est, vicus, praedium, possessio, villa, a diminutiva voce proveniens a substantivo nomine «cura» derivata, cui, inter alias significationes, ut videre licet in *Lexico Medii Aevi* (DU CANGE), sensus praedii, possessionis, vici, villae tribuitur. Et haec est vera etymologia Civitati «Corella» tribuenda, rejectis omnibus aliis quae ei audacter et imperite tribuuntur.

7. Opera in quibus de Academia Complutensi agitur sollicite pervolvi; nullibi inter magistros illius clarae Academiae Lupejum nostrum inveni. Credo tamen eum, sicut Joannes Ludovicus Vives Lovanii, lectiones et repetitiones aliquas habuisse, quanquam revera professor illius Academiae nunquam renuntiatus fuit. Cf., e. gr., LUIS ALONSO MUÑOYERRO, *La Facultad de Medicina de Alcalá de Henares*. Madrid, Consejo Superior de Investigaciones Científicas, 1945. — JUAN URRIZA, *La preclara Facultad de Artes y Filosofía de Alcalá de Henares, en el Siglo de Oro (1509-1621)*. Madrid, C. S. I. C., 1942. — ANTONIO TORRE DEL CERRO, *La Universidad de Alcalá. Estado de enseñanza, según las visitas de Cátedra, de 1524-25 a 1527-28*. In: «Homenaje a Menéndez Pidal», vol. III, pp. 361-378.

8. *Cureleae*, ubi medicinam artem exercuit, magna auctoritate fruebatur atque praestantia, tum doctrina tum ex suorum nobilitate: frater Franciscus *Cureleae* tabellarius fuit; soror Maria, Joannis Martinez de Baños, conjunx, Sebastianum genuit, qui fuit primus ecclesiae Virgini a Rosario dicatae parochus; soror Elisabeth familiam cum Didaco Marquina, cureleano quoque scriba publico, qui magnas partes in reipublicae negotiis tunc temporis egit, ut constat ex documentis recens a Florentio Idoate publici juris factis; cf. FLORENCIO IDOATE, *Catálogo documental de la ciudad de Corella*. Pamplona, 1964: nn. 1273 (anno 1536), 1275 (1545), 1277 (1550), 1278 (1552), 1280 (1558), 1273 (1536), 1275 (1567). — De auctoritate et honore quibus Turiasione affectus est testimonium exstat luculentum in nuncupatoriis litteris quibus nonnulla ejusdem opera episcopis turiasionensibus dicavit, Petro nempe De Luna et Joanni González de Munebriga.

9. Lutetiae Parisiorum in Nationali Bibliotheca hoc tantum opus Lupeji Cureleani est, cujus titulus integer ita se habet: «López de Corellas (sic), Alfonso, *De Morbo pustulato sive lenticulari, quem nostrates «Tabardillo» appellant, liber unus, atque de Galeni placitis liber alter, quo omnibus fere medicis, qui predictum autorem hucusque impugnarunt, respondetur... per Alfonsum Lupeium Cureleanum...* — Caesaraugustae, ex officina M. a Huesca, 1574, in-8.<sup>o</sup>, pièces limin., et sig. A-Q. [8.<sup>o</sup> Td.<sup>63</sup>. 11.



adjunctum fuit *Annotationibus* in laudata jam editione anni 1565<sup>10</sup>.

— *De natura venae*. Caesaraugustae, 1573, in-8.º. — *De Febre maligna et placitis Galeni*. Caesaraugustae, 1574, in-8.º. — *Catalogus Auctorum, qui post Galeni aevum, et Hippocrati et Galeno contradixerunt*. Valentiae, 1589, in 12.º — *De tuenda valetudine cuius ipse meminit in Annotationibus laudatis.*»

Vulgari vero lingua, Nicolaus Antonius hoc tantum Lupeji opus indicit:

«*Secretos de Filosofía, Astrología y Medicina, y de las quatro Matemáticas ciencias, divididas en cinco Quinquagenas de preguntas*. Pinciae [Valladolid], 1547, fol., per Gurgium cossi.»

Haec sunt quae a Nicolao Antonio de Lupeji Cureleani vita atque scriptis nobis tradita sunt, quae tamen, si ad trutinam —ut dicunt— revocaremus non omnia quidem retinenda<sup>11</sup>; sed nunc hanc rem mittamus, quae nos longe ad argumento proposito averteret. Sufficiat tantum addere opera a Nicolao Antonio non laudata, quae praesertim Matrī in Nationali Bibliotheca asservantur, nempe:

- *De arte curativa libri quatuor*. Quibus sanandi morbos brevis traditur ratio, grauiorumque medicorum multa explicantur theoremata Alfonso Lupeio Cureleano autore. Stellae, 1555.
- *Trezientas preguntas de cosas naturales en diferentes materias* Cō sus respuestas y alegaciones d'auctores, las q̄ les fueron antes preguntadas a manera de perque. Por el Licenciado Alfonso López de corelas medico. Y agora por el mesmo respondidas y glosadas. En este año 1546. — Valladolid, 1565.

---

10. Hoc opus *Enchiridion* seu *Methodus Medicinae* saepe in libello *De vini commoditatibus* nominatur, ad quod non raro quaestiones aliquas enucleandae referuntur. Quaerendum tamen est unde Lupejus indicem seu titulum hujus operis *Enchiridion* sumpserit; forte a notissimo illo Erasmi opere, de quo fuse cl. vir Marcellus Bataillon et luculenter disserit. Cf. DÁMASO ALONSO, *El Enquiridion o Manual del Caballero cristiano, con prólogo de Marcel Bataillon*. Madrid, 1932.

11. In notula septima jam diximus non constare Lupejum nostrum Compluti in Universitate professum esse; idem dicendum de civitate Curelea, quae certe, ut ipse in libello *De vini commoditatibus* grato animo asserit, illius fuit *genitrix et alumna* (fol. Biiij<sup>v.º</sup>). Adde nomen quo ab omnibus cureleanus medicus cognitus est: «López de Corella», cum alterum nomen illius fuerit «Coronel». Inquiredum est an inter Lupejum nostrum et Ludovicum Coronellum. (cf. ALLEN, *Erasmi Opus Epist.* Ep. 1277, vol. V, p. 44-47, et L. MARINEUM, *De rebus Hispaniae*, Compluti. 1530, f.º 167) propinquitas quaedam vel necessitudo intercesserit; J. L. ARRESE, o. c., pág. 579 quaestionem proponit, utrum Alfonsus Lupejus cum Venerabili Matri Agreda, cui nomen etiam erat *Coronel*, generis propinquitatem haberet aliquam.

- *Naturae querimonia*, Caesaraugustae, 1565.
- *De vini commoditatibus*, Caesaraugustae, 1550.

Multi alii scriptores de Alfonso Lupejo Cureleano scripserunt eumque magnis prosecuti sunt laudibus<sup>12</sup>. In notula invenies, quae de eo Augustus Hirst (quaedam tamen mendose) recens in Biographico Medicorum Lexico, Monachii scripsit<sup>13</sup>.

Nonnulla Alfonsi opera nuper laudata tantum in praecipuis bibliothecis reperiuntur. Ne diutius hanc rem protrahamus, exemplum afferam ex Bibliotheca Londinensi Britannici Musei, ubi haec tantum Lupeji Cureleani opera asservantur<sup>14</sup>:

«*Secretos de filosofía y medicina puestos a manera de perque*. G. L. s. l. 1939, in-4.º — *Secretos de filosofía y astrología y medicina y de las quatro mathematicas ciencias*. G. L., G. Coci sed vere: P. Bermuz), Çaragoça, 1547, in-fol. — *Trezientas preguntas de cosas naturales cō sus respuestas*. G. L. F. Fernández de Cordoua. Valladolid, 1546, in-4.º»

Notandum tamen est Nicolaum Antonium, cum Alfonsi Lupeji recenset opera, illud omisisse, cui titulus est *De vini commoditatibus*, quod et alii plures scriptores etiam silent, qui de Lupejo nostro

---

12. Cf. notulam quartam. Praeterea cf. CHOULANT (Ludivicum), *Bibliotheca Medico-Historica sive Catalogus Historicus de re medica et scientia naturalium systematicus*. Lipsiae, Ed. Guil. Engelmann, 1842. In pag. 48, scriptores undeviginti ennumerat, qui de Galeno scripserunt, inter quos et Lupejum Cureleanum, ob suum opus, cui index est: *Catalogus auctorum, qui post Galeni aevum, et Hippocrati et Galeno contradixerunt*. Valentiae, 1589.

13. AUGUSTUS HIRSCH haec in laudato lexico de Lupejo Cureleano breviter, tradit, quae tamen non omnia vera sunt: «López, spanische und Alonso López, geboren zu Anfang des 16 Jahrhunderts in Corella (Navarra), studierte und promovirte in Alcalá de Henares, praktisirte eine Zeit lang in seiner Vaterstade und ward zuletzt Professor in Tarragona (sic). Anfangs passionirter Anhänger der Araber, eines Avicena, Rhazes und Averroes, modificirte er im Laufe des späteren Erfahrung seiner früheren schroffen Ansichten. Er schreib: *Segredos* (sic) *de filosofía, astrología, medicina y de las quatro matemáticas*, etc. (Saragosa, 1547, fol.) — *Enchiridion medicine*, in quo praecipua theorica et practica juxta classicorum dogmata dilucidantur (Ebenda 1549; Valencia 1581) — *De arte curativa* (Essella [sic pro Estella], 1555). — *Annotationes in omnia Galeni opera* (Saragosa, 1565; Madrid, 1582). — *De natura venae* (Saragosa, 1573). — *De morbo particulari* (sic), *quem nostrates «Tabardillo» appellant, liber unus atque de Galeni placitis etc.* (Ebenda, 1574; Valencia, 1581). — *De vini commoditatibus* (1550; non indicat editionis locum). — Ita apud AUGUST HIRSCH, *Biographisches Lexicon der hervorragenden Ärzte alter Zeiten und Völker*. Verlag von Urban & Schwarzenber, München-Berlin, 1962.

14. HENRY THOMAS, *Short-Title Catalogues of Spanish, Spanish-American and Portuguese Books printed before 1601 in the British Museum*, Published by the Trustees of the British Museum, 1966, p. 52: López de Corella, Alonso.

ex professo agunt<sup>15</sup>. Nam revera his nostris diebus, cum paucissima exstent exemplaria hujus operis, fere omnes illud ignorant. Si quid meum testimonium habet ponderis, hoc possum asserere, me, in tot tamque praestantibus bibliothecis quas hos decem postremos annos per Europam perlustravi, duo tantum exemplaria hujus rarissimi libelli invenisse, alterum Matriti in Nationali Bibliotheca, alterum Salmanticae in Bibliotheca Universitatis<sup>16</sup>.

De hoc ergo parvo Lupeji opere, meo judicio magni momenti, breviter agere institui, atque ejusdem argumentum et rationem exponere, sententias et quaestiones nonnullas, allatis textibus, proponere, judicium denique proferre de universi operis praestantia, auctoritate, pondere.

## II. «DE VINI COMMODITATIBUS», MAGNI MOMENTI OPERE

Hoc Lupeji Cureleani, opus ignotum est vel fere ignotum non tantum cultioribus viris, sed nonnullis etiam qui de medico Cureleano egerunt<sup>17</sup>. Et tamen de opere agitur nequaquam spernendo, quod patebit postquam nonnulla de ejusdem argumento et operis partitione, de quaestionibus in eo agitatis, de rationibus auctoritatibusque quibus omnia confirmantur, egerimus. Potius vero quarum mea, vobis ipsius auctoris verba, ex allatis textibus, ansam recto judicio praebebit. Sed, priusquam de argumento agamus, operis bibliographicam, quam dicunt, descriptionem afferamus, quam mihi olim Maria Aloisia Poves, in Nationali Bibliotheca Matritensi, in librorum ordinatione curatrix, benigne misit<sup>18</sup>:

«LÓPEZ DE CORELLA, ALFONSO

*De vini commoditatibus: libellus Alfonso Lupejo Cureleano auctore.* — (S. l.: Zaragoza). — (S. i.: ¿B. de Nájera?). — 1550. — 31. fol.: Sign. A<sup>8</sup> — C<sup>8</sup>, D<sup>7</sup>. — 12.º

Letra gót. Port. y cap. grab. Esc. tip. al final. Apost. Marg. —

15. Multi scriptores qui de Alfonso Lupejo Cureleano agunt silent libellum *De vini commoditatibus*. Ampliorem vero notitiam de eo praebet JOAQUÍN DE OLMEDILLA, *Notas biográficas referentes a Alfonso López de Corella*. Madrid, 1910, p. 14.

16. López de Corella, Alfonso, *De vini commoditatibus*. Caesaraugustae, 1550: Nat. Matrit., R. Usoz 3887; Univers. Salmant., 1.º/37.902.

17. Silent vel fortasse ignorant libellum *De vini commoditatibus*, inter alios, Nicolaus Antonius, Morejón, Arrese, Enciclopedia Espasa-Calpe, etc.

18. María Luisa Poves, Biblioteca Nacional. Madrid, 9 dic. 1963.

Hay una nota manuscrita en la guarda posterior: «En la hoja Bv. lin. 7-8, expurgaron: *culpa quae fuit in filio Noe, qui meracum tribuerunt non est ascribenda vino.*»

Libellus, cui nomen est «*De vini commoditatibus* his praecipue partibus constat: praefatione, totius rei expositione seu argumento, conclusione. Rei expositio fit duplici ratione, inquirendo nempe vini utilitates seu commoda, et attente considerando abusus vini incommoda seu noxas, id est, ebrietatem.

In praefatione haec notatu digna invenimus<sup>19</sup>:

«Solent ab eruditis, lector candidissime, tum optima tum laude indigna encomiis celebrari; a nemine non laudatur homo quia intellectu superas potest volitare per arces, sed inuenit culex, cunctarum animantium prope infimus, qui laudibus illum decoraret. excolitur sanitas, sed febris quartana non caruit elogio; sapientia vndique predicatur, non tamen defuerunt stultitiae suae laudes... Ceterum laudent rhetorici, quae laude carent ego... quae elogio sunt digna decantare intendo. Alibi medicine, ut nobilissime scientiae, feci encomium, nunc in hoc libello vinum, magnum quippe ad medicine usum adiumentum, laudare decreui.»

In ipsa praefatione duplicem argumenti partem insinuat, cum dicit<sup>20</sup>:

«In quo [libro], si vini commoditates multe, enarrantur, multa ebrietatis notantur incommoda. Si etiam pro ebrietate arcenda multa describuntur, multa pro detractione vitanda eorum quae alibi scripsi, explicantur dogmata. Est enim hic libellus aliorum laborum, quibus nunc inuigilo, veluti preludeum et veluti mei Enchiridii appendix...»

Auctor agit igitur in prima parte de vini laudibus seu commoditatibus, quas his quinque rationibus contrahit<sup>21</sup>.

«Porro inter multas quae vinum circumstant laudes, quas omnes percurrere et laboriosum esset et molestum, praecipue haec sunt: Quod est vite oleum, sanitatis tutela, omnium ferme egritudinum medicamentum, anime prauarum affectionum antidotus, ingenii fomes et incitamentum.»

De argumentorum expositione optime iudicabit qui

19. *De vini commoditatibus*, fol. Aj.

20. O. c., fol. Aij.

21. G. c., fol. [Aij] v.

attente ea quae sequuntur legerit, quibus vinum commendatur, morborum congruum medicamentum<sup>22</sup>:

«Porro vinum, vtpote calidum, morbis frigidis aduersari nemo, quantamlibet nasturtio egeat, infitiatur. Vsque adeo enim frigidis affectibus occupatis solet succurrere, vt diuus Paulus, qui diuino nectare fuit inebriatus, hoc nostrum multi faciens Thimotheum hortatur, vt eo vtatur, nimirum propter ventriculi imbecillitatem. Ceterum quod nec in morbis calidis protinus sit inhibendum, medicorum grauissimorum placita aperte testantur. Sane Hippocrates et Galenus vinum febrientibus exhibere monent, vt ex iis que libris de ratione victus vndecimo methodi dicuntur, liquido colligitur. Bene enim dilutum, quia melius quam aqua (vt supra diximus) penetrare potest, magis potest humectare, quod febrili languore magnopere exoptamus. Roborando etiam calorem genuinum, qui omnium est potissimum medicamentum, omnes morbos profligandi habet vim, tantum enim caloris natiui vires vegetat, vt solo vini odore recreari eas conspiciamus. quis enim non videt animi defectione apprehensos, qui mortis limine nec latum pilum distare conspiciuntur, vini odoris vel sorbtiuncula, quamvis pauca, e vestigio releuari, vt in vino esse animam vel certe anime umbra, facile quis sibi persuadeat? Vsque eo enim prestantiores medici hanc vini vim extulerunt, vt ipsi arabes, licet alioquin vinum detestentur, cum animi deliquium instat, a vino non abstineant, vt arabum excelentissimus medicus Auerroes memorie prodidit. Quae certe, si ipsi linceis oculis contemplarentur, aperte viderent, quam execrabile sit spurcissimi Mahometani institutum, quippe cognouit vinum tantum succurrere humane nature innumeris incommodis obnoxie, et, vt melius tegeter enormia quibus pollebat vitia, sanxit ne sue factionis homines vinum degustarent...»

---

22. O. c., fol. [Av]v. De vino et de vini cultura tam antiqui quam recentes plura scripserunt. En tibi, lector humanissime, exempli gratia, haec opera: GULIELMUS GRATAROLUS, *De vini natura, artificio et usu deque omni potabili opus*. Argentorati, 1565. — GASPAR CALDERA DE HEREDIA, *Tribunal Apollini sacrum...* Apud Iohannem Elsevirium, Lugduni Batavorum, 1658; p. 229: *Tractatus utilis et iucundus de potionum varietate*, ubi multa curiosa et notatu digna inuenies. — *Le Débat du vin et de l'eau*, Lugduni, circa 1500 a Martin Harvard typis impressum. — HEINRICH WESTERATH, *Die Fachauscrücke des Ackerbauer bei den römischen Agrarschriftstellern*. Diss. Osnabrück, 1938. — LORENZO DALMASO, *La viticoltura ai tempi del Impero romano*. Roma, Istituto di Studi Romani, 1940. — MARIA GRAZIA BRUNO, *Il Lessico agricolo-latino e le sue continuazioni romanze*: Istituto Lombardo de Scienze e Lettere, Rend. Lett., 1957. — JENS ERIK SKYDSGAARD, *Varro the Scholar. Studies in the first Book of Warro's «De Re Rustica»*. Einar Munksgaard, Hafniac [Copenhagen, Dinamarca], 1968.

Lupejus agit deinde de variis vinorum speciebus deque eorum virtutibus. Hac data occasione Hispaniam, Nauarram, Cureleam magnis prosequitur laudibus, ob optima vina, quae ibi gignuntur. En tibi maxime memoranda verba <sup>23</sup>:

«Propter hoc ego arbitror, quod ex natura soli euenit, vt aliqua parte Egypti vina aquosa gignantur. Quippe, licet terra sit calida, si est scarosa, non apta nutrice vites, vinum tenue et aquosum gignit; si autem est calida et pinguis, producet vinum acutum. Sed ad institutum redeamus. Dico, quod, si ob bona vina aliqua terra laudanda est, certe Hispania; omnia enim vinorum genera, omnibus generis absoluta, Hispania gignit, qualia apud ceteras nationes non temere inuenies. Est oppidum nomine sanctus Martinus, qui vinum fuluum phalero prestabilius prestat. Est Taurina ciuitas, que vinum rubrum nulli cedens propinat. Quid commemorem oppidum Madrigal, Hiepem, Ribadeabiam, que ob generosissimum quem pariunt liquorem, omnibus nationibus sunt conspicua? <sup>24</sup> Porro et nostra Nauarra, vt in omnibus fertilissima, ita in vinis producendis est fecundissima. Multe enim regiones vites bonas habent, attamen non sunt multum frugifere. alie vero frugifere admodum sunt, non tamen vina bona producant. At Nauarra vina gignit optima et affluentissima, si que est alia regio. Et pro commendanda Nauarre fertilitate, Curelea, mea genetrix et alumna, sufficeret, vbi tam pingue solum est, vt cuilibet gignendo fructui sit accommodatissima. Ibi legitime veniunt segetes, abundantissime vicia, foelicissime oleae, quarum multe ornatissimo ordine consite illam aspectant. Sed quid triticum, vicia, oliuas commendo, cum nulla arbor sit quo Cureleano solo non gaudeat? <sup>25</sup>. Et sane, licet per omnem Hispaniam, vt Iustinus in-

23. *De vini commoditatibus* fol. [Bij] v. — Bijj.

24. Ad definienda vina, de quibus hic Lupejus loquitur multum iuvabit opus, cui titulus est: MIGUEL HERRERO-GARCÍA, *La vida española del siglo XVII. I. Las bebidas*. Madrid, 1933.

25. Ad vina commendanda, quae Cureleae gignuntur et accurate elaborantur, satis sit praecipuas domus vinarias numerare, quae ibi vini culturae dant operam: HEREDEROS DE CAMILO CASTILLA (cf. *La Bebida Española*. Madrid, Esciliger, pp. 368-373), a quibus haec vini genera veneunt: *Montecristo, Rayo de Sol, Goya, Navarra Clarete, Moscatel Superior, Port Iriya, Chianti, Castaña, Seco ajerezado, Rosado Goya, Tinto Goya, Blanco Goya, Quinado Rigel, Rancio selecto*. — BODEGAS CORELLANAS ubi haec praecipua vinorum genera inuenies: *Sarasate, Hebras de oro, Delicioso, Seco selecto ajerezado, Vermut, Vino quinado, Especial para Misa, Rancios*. — BODEGA COOPERATIVA SAN JOSÉ, societas in beneficium eorum qui vineas modeste colunt, ubi haec praecipua genera elaboratur; *Vino tinto, Vino clarete*. — Sunt et aliae domus minoris momenti, ut, ex. gr.: BODEGAS SALUSTIANO CATALÁN, MALUMBRES, JOSÉ ARIGITA, ANTONIO ESCRIBANO, ANGEL ARELLANO, etc.

quit, sit magna celi salubritas, difiteri debemus Nauarram prouintiam (absit a meis dictis iactantia vel adulatio), omnibus esse salubriorem. In ea enim non solis estus ardens, non frigus horrendum, sed omni tempore viget summa temperies, qua propter hanc esse temperatissimam regionem, licet aliud grauissimi authores profiteantur, teneo.»<sup>26</sup>

Lectorum pace, haec multa verba attuli, quae nobis sint testimonia et animi sensus, quibus auctor abundat, caritatisque erga patriam Hispaniam, ergam Nauarram, erga Cureleam suam, et etiam simplicitatis stili et candoris comprobatio, necnon et notitiarum plurimarum, quas in laudato libro «*De vini commoditatibus*» Alfonso Lupejus posteris reliquit.

Deinde, postquam nonnulla dicta factaque ab antiquis scriptoribus tam sacris quam profanis memoranda rettulit, ad alteram libelli partem transit, quae est de ebrietatis natura et remediis. De hoc argumento eleganti simplicique ratione disserit. En tibi, lector humanissime, haec nonnulla<sup>27</sup>:

«Eo enim vini potentiam quidam euexerunt, quod (vt legitur Esdre secundo) asseuerarunt nil vino esse fortius. Nec arbitris me ebrietatem laudare (quam per interualla aliquando prodesse, grauissimi authores prodierunt); assero tamen temulentiam non esse vini vitium, sed ganeorum hominumque bibacum, qui vinum diluere non curant. Dilue igitur optime vinum, et tibi non facesset negotium. Si dignus est igitur magnis laudibus Noe, qui tantum liquorem inuenit, elogio etiam dignus est Staphilus, qui (vt author est Plinius septimo libro) vinum aqua misceri inuenit. Nec vinum quis culpet, quod eius inuentorem et (vt ita dicam) parentem offenderit, nam culpa que fuit in filiis Noe, qui meracum tribuerunt, non ascribendum vino. Imo ex hoc nobis insinuauit esse generosum, non aliud in fronte simulare, aliudque in pectore premere; sed nemini parciturum,

---

26. Cf. FLORENCIO IDOATE, *Catálogo Documental de la Ciudad de Corella*. Pamplona, 1964: Leg. 1. — 1128, dec.; «Facta carta donationis era MCLIII, in mense decembris, in uilla que dicitur Almaçan». LACARRA annum corrigit et retrahit ad MCXXVIII, cf. *Documentos para el estudio de la Reconquista y repoblación del Valle del Ebro* (Primera Serie: Zaragoza, 1947; Tercera Serie: Zaragoza, 1952, n. 57). — Cf. J. L. ARRESE, *Arte religioso en un pueblo de España*. Madrid, 1963, p. 34: «Donación del Rey Alfonso a Pedro Conde Partiense ... concedo el Castillo y la villa de Corella con todos sus términos y con todos sus derechos a los cultivos ... viñas, huertas, ríos y molinos y con todos los derechos que a dichos castillo y villa pertenecen así a lo poblado como a lo yermo...» In hoc antiquissimo documento, quod in archivo municipalis asservatur, mentio fit de vineis et hortis, ubi variarum arborum genera colebantur.

27. *De vini commoditatibus*, fol. [Biii]v — Bv.

qui eo recte non vtantur. Nam quod non pepercit inuentori, non promisit aliis non se nociturum. Theologi alia forsant dicent, vt scitissime asserunt, aliquando ob insignes causas viros modestissimos fuisse inebriatos. Etenim lothum sacra refert pagina, obrietate correptum liberis operam dedisse, filiosque tunc procreasse, a quibus Moabite, et Amonite, duxerunt originem. Vbi perspicaciter aduertendum est, quod philosophorum est receptum dogma, quod qui temulenti sunt liberis non possunt operam dare; lothus autem non vulgata bibacum ebrietate ebriosus pulchre genuit. Vnde perpendere potes, liquorem hunc non dedecorasse lothum, sed illum illustrasse.»

Postea, de simili argumento disserens, ita concludit<sup>28</sup>:

«Est enim vini frenum aqua, que eius vires coercet. Licet contigit vinum parum dilutum magis quam merum inebriare, quia dilutum vinum ratione aque magis madefacit relaxatque cerebrum quam purum. Vnde euenit quod altius penetrat, vt videre est in panno lineo, qui difficilius emaculatur a vino aque mixto quam a meraco. Non enim mihi arridet dictum Aristotelis (venia sit dictis),\* qui tertia sectione problemate tertio inquit, ob hoc vinum sit tenuioris substantie, quam aqua, liquido colligitur, merum non esse crasioris substantie diluto vino...»

Deinde longe lateque de remediis contra ebrietatem Lupejus agit. Juvat tantum haec pauca, exempli gratia, afferre<sup>29</sup>:

«Sed iam de victu, qui ebriis est exhebendus, tempestium est aliqua dicere. Iuuant cibaria frigida, qualia sunt lentis iusculum, brasea et lactuca et ptisana ordeacea. Quod, si Alexandrum sequeris, ptisana ex auena confecta etiam vti potes. Ceterum caro pullorum et gallinarum temulentis conducit. Quod, si verum esset, quod vulgariter dicitur, galline ventriculum archana qualitate ventriculum humanum roborare, non dubium est quin temulentis imbecillum ventriculum habentibus magno opere prodesse. Verum (vt in Enchiridio dixi) Aetius omnium volucrum ventriculos damnat. Galenus etiam undecimo libro de simpl. medicamentorum facultatibus, de ventriculis tractans, non consentit galline ventriculum predicta proprietate donari, licet contra Aetium fatetur libello de cibis boni et mali succi, ventriculum galline esse prestantissimum.»

Simili ratione, ut in allato testimonio vidimus, Lupejus noster varias quaestiones agit, quas et medicorum antiquorum placitis et scriptorum classicorum atque philosophorum sententiis confirmat.

28. *De vini commoditatibus*, fol. [Bvii].

29. *De vini commoditatibus*, fol. [Cvij].



Non possum hic, nec per transennam, de allatis plurimis a Lupejo Cureleano testimoniis disserere; sunt enim plurima et varia, quorum confirmationem superiore aestate in Nationali Bibliotheca Parisiensi magna quidem auctoris admiratione prosecutus sum. Mirandus sane vir, qui vitam in parva civitate a Superioribus Academicis alienus et longe absens, ad manus habuit praestantiores editiones scriptorum antiquorum quae tunc temporis prodierant<sup>30</sup>. Spero fore ut, data occasione, fusius de hac re mihi disserere liceat.

Nunc vero ad conclusiones libelli et ad finem hujus disquisitionis veniamus oportet. In ea, postquam nonnullos scriptores, qui de ebrietate non recte judicarunt, corripuit, auctor libellum *De vini commoditatibus* hac ratione claudit<sup>31</sup>.

---

30. Attente sane consului editiones praecipuas, quae ante 1540, auctorum tam graecorum quam latinorum prodierant, quas Lupejus noster ad manus habere potuit. In iis maximam partem eorum locorum memoratorum confirmatam inveni. Ceterum, de bibliotheca Alfonsi Lupeji optime disseruit J. A. SÁNCHEZ-PÉREZ, *Alonso López de Corella... prototipo de la cultura española de su época*. In: «Anales de la Universidad de Madrid» (Ciencias), I, 1932, pp. 74-101; in pp. 78-90 de illius bibliotheca agit, ubi praecipua opera quibus Lupejus usus est ex conjecturis enumerat.

31. *De vini commoditatibus*, fol. [Dvj] v — [Dvij]. De variis vini generibus multa excepi ad illustranda ea quae Alfonsus Lupejus in libello *De vini commoditatibus* refert. Satis sit haec pauca, exempli gratia, lectoribus praebere. PETRUS HUBERTY, amicus, Parisiis, nonnulla me docuit de vini generibus, quae «Mosellae in Luxemburgensi regione gignuntur, ubi sollemnia singulis annis habentur vindemiae occasione. Exstant nonnulli libelli, in quibus memoranda de hac re continentur, ex. gr.: *Die Schwepsinger Mosel-und Weinpublikationen*: anno 1954, *Notre Moselle, notre Vin*, p. 140; anno 1956, *Le Vignoble luxembourgeois*, p. 240; anno 1957, *La route du Vin. Mosaique Mosellane*, p. 32. Praeterea notissima sunt illius regionis varia vini genera, quae vulgo appellantur: *Elbling, Riesling & Aylvaner, Auxerrois, Pinot blanc, Ruländer (Pinot gris), Traminer, Tokay d'Alsace, Muscat d'Alsace, Gewurstraminer*. — Etiam Parisiis, Professor ROBERTUS LORIOT nonnulla me docuit de vini cultura et de vini lexicologia, quae in iis quae sequuntur operibus continentur: A. MARESCALCHI - G. DALMASSO, *Storia delle vite e del vino in Italia*. Milano, 1931-1937; G. MELLIDO, *Vendemia e vinificazione nell'Irpinia*. I. D. (= L'Italia Dialettale, Pisa, 1925 ss.) III, 1927, 158-178; L. MANSI, *La viticoltura a l'enologia presso i Romani*. Casali, 1930; G. DALMASSO, *Viticultura moderna*. Milano, 1947; ENRIC GUIER, *Vocabulari de la cultura de la vinya al Rosselló*. Mendoza (Argentina), Separata de «Anales del Instituto de Lingüística», V, 1952, 83-131; GUSTAVE PHILIPPONNAT (Propriétaire-Viticulteur), *Le parler Champenois. Recueil des mots particuliers aux vigneron champenois suivi des surnoms donnés aux habitants des communes viticoles*. Reims, 1941; ELIO GHIRLANDA, *La terminologia viticola nei dialetti della Svizzera italiana*. Berne, 1956, 211 p. 46 illustr.; ANTONIO GRIERA, *La vinya, la verema, el vi*. Barcelona, Ediciones polígrafas, 1965. — De vinis hispanis haec tantum referre sufficiat: SALVADOR RUIZ-BERDEJO, *Las denominaciones de origen «Jerez-Xerez-Sherry» y Manzanilla*. In: *Guía turística de Cádiz y su provincia*. Madrid, 1966, p. 95-98; JULIÁN PEMARTÍN, *El vino y sus bodegas*. In: *Guía turística de Cádiz y su provincia*, p. 23-30; EMILIO DE LA CRUZ HERMOSILLA, *Cinco Rutas Turísticas por*

«Sed obstrepent aliqui, tu in multos inueheris; non mirandum quod in te aliqui toxemata vibrent. Quibus respondere ego possum, quod non detrahendi gratia, sed veritatis promulgande studio, aliquorum opiniones explodere fui molitus; viros autem qui suis laboribus medicinam illustrare sunt conati, semper excolo: grecos sector, sed non ideo arabes valere iubeo. Deus est testis quanta beneuolentia omnes literarum cultores prosequor. Quem nimis precor, vt sic me sui amore velit inebriare, vt, inebriatus, aliorum paruos sermones non moleste feram, atque possim candidis lectoribus, in quorum gratiam hanc nauauui operam, alios labores magis elaboratos et emunctos offerre. Magis elaboratos inquam, in theorematum philosophie, et medicine inquisitione. Sectentur sermonis facundiam, qui hanc profitentur; prestat humili stilo veritatem indagare, quam tumida et grandia verba trutinando, scopum non attingere. Non enim verborum lenocinio, sed perspicacissimis rationibus vera philosophie et medicine dogmata referantur. Cum ergo ex dicendi ornatu mihi nolim comparare laudem, nemo merito mea opera incusauit ob hoc quod tenui filo fuerint exarata. Fateor enim, me minime in hoc libello et in Enchiridio eleganti indulnisse. Longe est a me dicendi ornatus, et, vt ingenue fatear, festinabundo hec a me sunt prodita. Si quicquam igitur in his operibus, candide lector, inueneris, que rhetorum radant aures, non moleste feras; sat mihi erit, si in iis que ad medicinam attinent, tibi satisfecerim. Vale in Christo, a quo est mentis et corporis salus, cui gloria sit eterna, nostroque iam finito libello, genius.»

Si innumeras fere quaestiones, quae in hoc paruo opere agitantur, vis cognoscere, tibi satis erit notulas quae ad margines apponuntur in lectorum commodum obiter perlustrare. En tibi praebeo has omnes notulas, quorum ope totius libelli argumentum facile percipies. Ita se habent:

1. Vinum nature humane est multum familiare.
2. Humor vite non est similis aque, vt quidam autumarunt.
3. Post fruges est bibendum vinum, contra arabes.
4. Pueris no nesse inhibendum vinum, est probabile.
5. Vinum non interdicendum febrientibus.
6. Antiquum institutum romanorum, quod mulieribus vetabat vinum, ratione caret.
7. In nulla egritudine est inhibendum vinum.

---

*tierras Gaditanas. La ruta del vino.* San Fernando, 1969; JOSÉ PÉREZ-RAMÓN ALSINA, *Diccionario de vinos españoles.* Barcelona, Edit. Teide, 1966. — ROLDÁN, ANTONIO, *La cultura de la viña en la región del Condado.* Contribución léxica a la geografía dialectal. Madrid, 1966, Publicaciones del CSIC.

8. Aliquod vinum esse frigidum concessimus; non tamen omne album hac notari natura asseruimus.
9. Solos canes inuadit hidrophobians morbus.
10. Anime prauis affectionibus medetur vinum.
11. Vinum acuit ingenium.
12. Liquor ex vino destilatus est mirabilis.
13. Vinum absinthites ad multum est prestabilius absintho, contra Plinium. Vina gipso condita sunt perniosa.
14. Vinum nunquam senescere quidam dictitarunt.
15. Mirabilis est aceti natura.
16. Aliter sumitur nomen scientie ab Aristotele quam a Platone.
17. In locis calidis aliquando gignuntur vina aquosa ob tenuem soli natura. — Hispania bonis vinis abundant.
18. Curelea ab oleis sic dicta, que vulgariter *Corella* dicitur, vina gignit optima.
19. Nauarra est temperatissima regio.
20. Quia vinum habet commercium cum intellectu, ideo solet eius potentiam attingere.
21. Alexander a vino fuit subiugatus; aliud tamen voluit Plutarchus: integer exercitus vini machinamentis fuit debellatus.
22. Staphilus vinum aqua misceri inuenit.
23. Ob insignes causas aliquando viri modesti fuerunt inebriati.
24. Non sub una regula diluendi forma potest assignari.
25. Mustum inebriat, quidquid Macrobius vellit.
26. Non est a ratione alienum mulieres rarius inuadere temulentiam.
27. Contingit vinum dilutum magis inebriare.
28. Vitis fer tres vuas.
29. Ex sanguine nonnunquam fit apoplexia.
30. Nomine vene arteria complectitur ab antiquis autoribus.
31. Somnus non est denegandus accepto purgante pharmaco.
32. Quo modo intelligatur balnea sulfurosa nocere resolutioni nervorum.
33. Ebriosos omnes non iuuat somnus.
34. Pro proportione qua animalia excedunt, carnes differunt.
35. Vide causam ob quam sine cibo hiemis tempore nonnulla degunt animalia.
36. Serpentes sunt calide nature.
37. Noces pontice capitis dolorem inducunt.
38. Conuulsio solum est intermittens non est morbus acutus.
40. Ex nuda qualitate potest oboriri articularis dolor, contra Fuchsium.
41. Galenus voluit quod semen non est materia membrorum.
42. Ut quis vinum abhorreat.

**Libellus igitur *De vini commoditatibus*, ut liquet ex allatis argumentorum notulis, continet multa medicinae artis cultoribus utilissima, quae tamen iis etiam qui litteris humanioribus, latinis praesertim, dant operam, propter sententiarum copiam et venustatem, propter clarorum scriptorum testimonia, propter stili simplicitatem atque candorem, maxime in deliciis erunt. Hoc est meum iudicium, postquam semel iterumque librum legi atque de eo attente cogitavi. In votis est illud cum versione hispanica atque commentis edere omnibusque offerre qui artem medicinam litterasque latinas enixe colunt.**

**JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.**

**Corredorcillo San Bartolomé, 2 — Casa Sacerdotal.**

**TOLEDO (Toleti in Hispania).**

# IN CAPTIVITATE PETRI \*

*Fortes in fide*  
(I Petr. 5,9)

In Capitolina clamor jam tollitur arce,  
excubiae namque inter se data munera mutant  
primo mane. Forum denso fervere popello  
incipit, unde joci, risus lepidique susurri,  
omnia quae laeto circum loca murmure complent.  
Contigui obliquam penetrat lux orta fenestram  
carceris, at gelidas antri vix discutit umbras.

Qui caput obdormit jam dudum in pariete flexus,  
cum socio custos squalentis carceris una,  
membra situ tollit longo torpentia, luci  
incertae reserans oculos Processus, amicum  
paene sopore etiam demersum suscitatur, atque:  
«Eia age, qui somno langues huc usque gravatus,  
quin surgis tandem, quin expergisceris?» urget.  
Oscitat ille brevi, protendens atque torosos,  
nondum discusso somni torpore, lacertos:  
«Cur, — ait — heus, properas? Nobis haud molle cubile  
praebet humus, somno at lassis nil dulcius exstat.  
Sed potius vide sis, gradibus prostratus in imis  
ad laevam positus, etiam ut nunc lene quiescat,  
supplicium qui hodie extremum captivus obibit.  
Ut tranquilla quies, ut pax e fronte renidet,  
amotis curis, placidusque ut spiritus halat!  
At tamen ille suae sortis nequit inscius esse».  
Muneris ingrati socius cui: «Saepe voluto  
praeteritis docuit quae nos, Processe, diebus  
iste Petrus dura devinctus membra catena.  
De Jesu, quem captivus summum autumat esse  
humani dominum generis, quid, callide, censes?  
In praesaepe miser natus deponitur infans,  
deinde arti insudat vitae plerumque fabrili.  
Cum sociis patrias post susque is deque pererrat  
oras, pauperibus misereque gementibus usus.  
Quem tamen insontem paulo post tempore durae  
affixere cruci crudelia verbera passum.  
Haec mecum dubio nutans in pectore verso,  
ac modo dis, quos Roma colit prisco ordine sanctos,  
funditus ejectis, propero me credere toto  
corde Deo vero, quem nos Petrus addocet unum,  
di vereor modo deserti ne funera nobis  
exitiumque parent, sensim incipiatque labare,

---

\* Carmen in Certamine poetico Hoeufftiano magna laude anno MCMLXXI ornatum.

quae stat nunc etiam tot jam post saecula, Roma». Cui Processus: «Eundem animo persaepe timorem mecum agito, mihi mens dubiis sic fluctuat anceps, consilii que expers, nescit quo tendere praestet. At nunc ore fave. Petrus expergiscitur. Illi multa laboranti nostras adjungere curas nolim, mox saevae poenas qui mortis obibit».

Lentus membra solo interea Petrus erigit udo, stat circumspiciens, venerandaque brachia pandens pacem suadenti custodibus ore precatur, atque: «Hodie ad Jesum felices ibimus — inquit — participes regni, quod nobis ille paravit».

Tunc socii dubios volventes pectore sensus: «Unde tibi — quaerunt — tanta est fiducia? Quare esse in perpetuum speras te posse beatum?».

Mitibus ast Petrus haec oculis speculatus utrumque custodem blanda paulatim est voce locutus: «Ille mihi vires ipso in discrimine mortis suppeditat, vinctoque bonus solacia praebet. Pollicitus namque est felicem illum esse futurum, qui fortis confessus erit coram omnibus ipsum». Cessat at hic, sursum Petrus et pia lumina figit, dein: «Mihi mens — inquit — patrias remeavit ad oras. Quae vixi pridem, rursus me vivere duco. Paucis deductus sociis, quos legerat ipse, Jesus regna Dei docet, atque ad se advocat omnes. Atria non illum splendentia marmore lassum excipiunt, ne parva quidem sub vespere tecta, ut tandem recreet nocturna membra quiete. Quare olim cuidam hoc quaerenti: 'Vulpibus — inquit — sunt speluncae, avibus caeli quoque in arbore nidi, filius ast hominis post tot tantosque labores, nescit ubi somno noctu caput ipse reclinet'. Ille homines, iram qui saevam in corde fovebant atque odium, blando mitis mulcebat amore, naviculaque mea turbam persaepe docebat, densa lacus tremulis ripa quae assederat undis. Mons cathedra interdum fuit illi floridus herbis pauperibusque animo monuit vitam esse beatam. Quin et promisit maeste lugentibus inde laetitiam, superis aeterna et gaudia caelis. Omnibus auxilium tulit, sanavit et omnes forte laborabant morbis qui tristibus. Olim egreditur Jerico nobiscum ex urbe magister, turba sequebatur, cunctis plaudentibus, ingens, ecce viam juxta praeter poscebat euntes

caecus opem. Insuetis postquam clamoribus ictus  
audiit adventare sibi quem noverat ante  
saepe bonum mira effecisse, en, protinus ille:  
'Jesu, — ululat — fili David, miserere mei!'. Queni  
cum lassus multi clamore silere juberent,  
ille magis multo replet ploratibus auras.  
Substitit at Jesus, caecum jussitque vocari.  
Qui prius ingratis jurgabant vocibus aegrum:  
'Macte — aiunt — virtute, miser, nunc surge, vocat te,  
qui potis est omnes morbos depellere, Jesus'.  
Palliolo procul abjecto, vestigia caecus  
terra incerta premens, ductus contendit ad illum:  
'Quid tibi vis faciam?', suavi tunc voce rogavit  
caecum is sedavit qui exortas saepe procellas.  
'Ut videam, domine!' haud dubitanti hic corde precatur.  
Jesus: 'Vade, fides salvum te praestitit', inquit.  
Caeci oculos subito geminos lux dulcis inundat,  
ac: 'Video!' exclamat, nequit at sibi credere, Jesu  
flexus humi supplex genua amplexatur adorans,  
divinumque ducem nobiscum est deinde secutus.

Nec tantum aegrotis praebebat at ille medelam  
corporibus. Sunt interdum quae vulnera nostros  
excruciant animos, rapiant quae e mente quietem  
eversamque adimant infesto turbine pacem.  
Si quis erat diris cruciatus pectore culpis,  
criminibus se mundari fidebat ab illo.  
Nec scelerum versabatur vis tanta per orbem,  
quam non divino delere is numine posset,  
omnibus at veniam graviter peccantibus ille  
usque dabat. Duro quin ipso e stipite pendens  
languenti hanc vocem moriturus protulit ore:  
'His ignosce, cruci qui me, Pater, affixere.  
Nam quid nunc faciat nemo est sibi conscius ipsi'.».

Ast tunc corde Petri verbis percussus in imo  
solvitur in lacrimas subito Processus acerbis,  
ac manibus celans humentia fletibus ora,  
multa gemens fractas emittit gutture voces:  
«Me miserum! Invenient veniam mea crimina dira?  
Nempe meis manibus, quos illo tempore sontes  
omnes credebant, operam pro viribus acer  
ipse dedi, ut saevis cruciarem nocte dieque  
suppliciis, scelerum puri qui justa colebant.  
Incensa in cinerem late cum corrui alta  
Roma, repens populi insano flagrante tumultu,  
asseclasque retos Christi una voce popellus  
dixit et exemplo miseros saevitur in illos.

Ipse cruci quosdam, pudet, heu, me crimina fari,  
 affixi, circum turba plaudente scelesta.  
 Ipse ego pendentes nocturnae lucis in usum,  
 deficiente die, taedis crudeliter ussi.  
 Qui malus haud meritam possum mihi poscere pacem?».

Haec ubi dicta, silet, frustra compescere fletum  
 conatus, qui maesta fluens large irrigat ora.  
 At Petrus et fletu tactus tantoque dolore:  
 «Quare — inquiet — jam nulla tuo spes corde fovetur?  
 Fide, precor, veniae es lacrimis nunc munere dignus.  
 Ignoscet tibi, qui peccanti ignoscere clemens  
 ante solet, quam quis veniam se speret adeptum.  
 Heu!, dicam, quamquam sonti meminisse dolori est,  
 discipulos inter Jesum quocumque secutos  
 unus erat quem divinus dux pluris habebat,  
 praecipuoque bonus semper cumulavit amore,  
 ut decus omne suum monte illi ostenderit alto.  
 At postquam Jesus vinclis oneratus in urbem,  
 multa captivum turba sectante, domumque  
 pontificis reus est ductus, dum frigore substant  
 ad prunas servi accensas simul atque ministri,  
 ignis et is refovet frigentia membra calore,  
 ancillae, pavidum malesuada mente roganti,  
 ter detestatus minime se noscere jurat  
 illum hominem». Tunc Processus: «Quis tam fuit iste  
 — quaerit — et ingratus, vitae et prius immemor actae?».

«Qui tecum loquitur ferrata compede vinctus.  
 Ast ubi me miti respexit lumine Jesus,  
 inde foras flevi praeceps egressus amare».

«Quid? — Processus ait — Veniam sperare licebit?».

«Dummodo paeniteat penitus te tanta patrasse».

Interea qui cum Processo armatus agebat  
 excubias, tacitus sermones hauserat aure  
 hos omnes, minime ast interpellare loquentes  
 ausus erat, tandem submisit haec dicere coepit:  
 «Clementem nobis semper, Petre, corde fuisse  
 atque bonum Jesum pergis suadere, et eundem  
 esse deum, cujus certe est immensa potestas.  
 Cur igitur nos interdum maeroribus angi  
 ipse sinit tantis? Quid in ipso flore juventae,  
 quin immo in primo fugitivae limine vitae,  
 heu, natos patitur vel dura morte perire?

Purpureus veluti culto flos crescit in horto,  
 cara mihi, vita longe vel carior ipsa,  
 dulcis alebatur praeclara puellula forma.  
 Bis ternos mire florens compleverat annos,



pallidula, exili insignis discrimine crinem.  
Suavi oculi nigri ridebant lumine, caelum  
stella velut nitida collustrat luce serenum.  
Militiae illa mihi redeunti a munere laetis  
occurrebat iter complens clamoribus, illa  
amplexata genis figebat et oscula patris.  
Arboris ut passer saliens huc pipilat illuc  
frondentes inter ramos, nec desinit umquam,  
garrula sic graciles voces iterabat ad aures  
multa mihi narrans, multa et mihi blanda susurrans.

Olim Luciolum, sacrum mihi nomen in aevum,  
summis deprendi digitis cum matre tenentem  
callidam acum, niveum quo linum gnava suebat  
et vario deinceps properabat pingere filo.  
At mater mihi miranti tunc: 'Hoc suit — inquit,  
dum tenuis quidam risus micat ore loquentis —  
ipsa suo tatulae, officiis quo comptior adsit'.  
Linum at acu pictum puerili tractibus arte  
imparibus, fida positum servatur in arca  
mnemosynum aeternum natae mihi nuper ademptae.  
Namque repens tenerae febris per membra puellae  
serpit ut igniculus, pectus quassante maligna  
interdum tussi. Medicus adhibemus et aegrae  
confestim quovis pretio medicina paratur,  
nulla gravi tamen haec affert lenimina morbo.  
Quid facerem? Miser arcesso tunc denique sagam,  
filiolam ut magica languentem sublevet arte,  
ignibus ast oculi feбри majoribus ardent.  
Quid tibi multa? Brevi vitales deserit auras  
atque in perpetua requiescit pace puella.  
Qui possum Jesu regnum jam laetus adire,  
si tamen, heu, natam, qua nil mihi carius unquam  
esse potest, nusquam ereptam modo morte revisam?  
Desinit, at crebris resonat singultibus antrum  
et flentis gemitus immota silentia rumpunt.  
Plorantem Petrus adflicto prope corde tuetur,  
sed motus animi vincens dein talia fatur:  
«Quam desiderio memori sub pectore maestus  
filiolam nunc prosequeris, mihi crede, revises.  
Qui nobis, haud jure minas jactantibus ira,  
(ad Jesum admorant natos hinc inde parentes,  
ut tantum frontes illorum tangeret): 'Ad me  
parvos — tunc dixit — pueros sinite usque venire,  
regna quibus caeli sancta sunt lege parata',  
ille tuam aeterna suscepit luce beatam  
filiolam, exspectat quae te post funera secum.

Tu quoque enim felix poteris conscendere caelum  
 laetitiaque frui cum nata exinde perenni,  
 si culpas prius admissas abjeceris, atque  
 exstiteris sacra lympha si rite piatus.  
 Tunc eris aeternum confestim effectus in aevum  
 naturae ipse Dei divino munere consors».  
 «Quin nobis praestas e puro fonte lavacrum?,  
 solliciti exclamant concordi mente sodales.  
 Summis inde preces fundens e corde labellis  
 flectit genua Petrus, sinuosa ubi rivulus unda  
 lene fluit, tenuique notat modo tramite terram.  
 Lympham tunc manibus singultim e rupe scatentem  
 in morem paterae junctis vix colligit, atque,  
 dum pia verba serit supplex: «In nomine Patris...»,  
 spargit aquam prono Processi in vertice sacram,  
 «Martin — qui exclamat, nequit at subjungere -iane,  
 laetitia vox paulisper namque haeret in ore —  
 percipio insuetus quae numquam gaudia sensi».  
 Deinde Petrus socium quoque sancta aspergine mundat,  
 ora levat qui mox ignoto inspersa rubore  
 laetus, uti languens noctu flos rore reffectus  
 mane nitet. roseo lustratus lumine solis.  
 Sic Petrus in vinclis custodes abluit unda,  
 qui peperere sibi aeternam post sanguine vitam.

Prof. THEODORUS CIRESOLA  
 Viale Brianza n. 22  
 20127 — MILANO (Mediolani in Italia)

#### ADNOTATIONES

Martinianus, martyr cum Processo, qui sub Nerone imperatore baptismo abluti sunt a Petro Apostolo et passi necem pro Christi fide, sepulti sunt in via Aurelia in coemeterio Lucinae, dein sanctorum Processi et Martiniani appellato. Cfr. G. B. De Rossi, coll. Bull. Arch. Christ. a. 1875, pag. 51, 55 et a. 1881, pag. 164 s q q.

Traditum est Martinianum et Processum Petri in Tulliano captivi fuisse custodes.

Verisimile est nomen Tulliani non a Tullo Hostilio ductum esse, sed a tullio, seu aquae fonticulo ibi exsipientis.

vv. 84-107: quod ad Bartimaeum caecum attinet cfr. Marcum, X, 46-52; Lucam, XVIII, 35-43.

v. 150: cfr. Matthaeum, XVII, 1; Marcum, IX, 1; Lucam, IX, 28.

vv. 230, 231: cfr. II Petri 1, 4.

v. 239: cfr. Matthaeum, XXVIII, 19.

# DE ASTRONAVIS "APOLLO XVI" ITINERE

Sexto decimo kal. majas, a. MCMLXXII tribus septimae postmeridianae horae exactis partibus (ex italico computandi more; tribus vero horae partibus post meridiem apud Foederatae Americae Civitates), astronavis *Apollo XVI*, quam cosmonautae *John Young, Thomas Mattingly, Charles Duke* modo jam conscenderunt, ab illa quam «Cape Kennedy» dicunt regione per inane spatium in sublime jactatur. Paucis vix temporis momentis exactis, jam Terrae orbem illa iniit; paulo plus altera post hora, cum bis Terram vix circumierit et motoria tertiae ignei jaculi («Saturno 5» dicti) partis accensa machinula fuerit, eadem astronavis, orbita terrestri relicta, in tramicem immittitur, quo lunarem orbitam ineat. «*Quae tam pulcherrima circum undique conspiciamus!*» —primus *Young*, aeriae expeditioni praefectus, admiratus exclamat—; «*Ultra quam concipi potest; haec ipsa, qua transvehimur, machina ingeniosa quam quae maxime in suo obeundo munere videtur: tanquam quaedam pretiosa gemma!*»

Plus quam decies centena milia spectantium hujusmodi plaudunt spectaculo, quos inter *Jordanicae* nationis princeps *Hussein*, qui hic forte versatur Foederatarum Americae Civitatum conveniendi praesidis causa.

Ad quattuor hinc dies, tertia postmeridianae decimae horae praevisa parte (italico videlicet computandi temporis more), duo alii praeter praegressos cosmonautas lunare solum vestigiis prement; ideoque decem ad id temporis numerentur qui lunares oras appulerint.

Haud multo ante quam e Terra sunt cosmonautae profecti, copiosum eumque validum sumpserunt cibum: vitulinam carnem assatam, ova cum succidia, pastilla ad laterculi figuram formata eaque e furno recens extracta, citri sinensis sucum, caffeariam potionem.

Ad doctissimos vere Terrae viros quod attinet, ipsi interim suspensis animis, firma tamen spe, id quam diligentissime attendunt, quomodo hujusmodi expeditio procedat, praesertim cum diuturnior cujusdam regionis, ejusque clivosae atque imperviae, sit proposita exploratio, per unam ac viginti horas, apud cratera, quem «*Carthesium*» nuncupant. Postquam enim vehiculi lunaris exemplar («*Orion*» appellatum) e capsula principe («*Casper*» dicta) sejunctum fuerit, cosmonauta *Mattingly*, ejusdem capsulae gubernator, satellitem Terrae circumire perget, tempus plerumque conterens in omnibus notandis quaecumque ad scientiarum studia attineant et lunaris orbis imaginibus imprimendis.

Cum subito quiddam inopinatum, motoria jam tertiae ignei jaculi (Saturno 5) partis accensa machinula, accidit, quod curam quodammodo metumque cosmonautae *Duke* inicit: hic enim illos volatui praepositos viros, qui rem cosmonauticam in sede terrestri administrant, certiores statim facit de nonnullis particulis, quibusdam potius squamis, e vehiculi lunaris cortice avulsis ac passim volantibus. Vehiculo «Orion» idcirco circumspecto, cum nihil usquam sit inventum incommodi, convenit demum id ex eo effici posse, quod recenti fuco fuerit ejusdem vehiculi externa superficies illita; ceterum, lamina tres circiter digitos crassa subter exstat.

Astronavis, igitur, suum persequi tramitem pergit, nisi quod, tertio praetereunte volatus die, aliud supervenit incommodum: unus e duodecim uncis, per quos vehiculi lunaris exemplar cum illa principis capsae («Casper») parte, ad res quaslibet commonendas constituta (anglice: *service propulsion system*), jungatur oportet, prendendi vi —qua causa nemini constat— ex abrupto deficitur. Quod non ultimum, eheu, incommodum! Aliud enim ad quoddam gubernandi machinamentum pertinet, electromagnetica vi, quasi fulminis ictu, turbatum; aliud etiam ad quandam difficultatem pertinet, quae impedit ne inter caelestia ac terrestria spatia nuntiorum commerciorum per aetherias undas efficiatur; quod plerumque accidit cum astronavis orbe se circumegit ad caloris vim aequo modo servandam: quae omnia nullum grave damnum, ut videtur, inferre potuere; quapropter propositum finem imperturbate sidereus volatus consecrari pergit. Nam, astronavis (quae vulgo «Casper», ut superius diximus, nuncupatur) lunarem en orbitam init, simulque, igneis praecipuis jaculis accensis, ejus cursus aliquantum minuitur celeritas, hactenus gradatim aucta ob majorem satellitis attrahendi vim. Ita, tertio temporis momento supra decimam postmeridianam horem, tertia ignei jaculi («Saturno 5») pars, suo jam expleto munere, in superficie lunari illisa, tam vehementi ictu apud «Imbrium Oceanum», quem dicunt, se praefregit, ut «sismographium», quod in superiore expeditione («Apollo XIV»), cosmonautae *Alan Shepard* et *Edgar Mitchell* ibidem constituerunt, magnum soli tremorem motaverit.

Lenis autem super Lunam lapsus in quinque horas differtur, quod motoria illius partis (= *service propulsion system*) machinula, quam tertius cosmonauta, *Mattingly*, Lunam adhuc circumiens, frustra manu hactenus tractavit, nondum accenditur, dum *Duke* et *Young*, lunari vehiculo vecti, a capsula principe («Casper») sunt jam sejuncti. Itaque, peritissimi cosmonauticae scientiae studiosi in lunari orbita cunctandum censent; quare et vehiculum («Orion») ad lunares oras appulsurum, et capsula princeps, alterum ab altera paulo plus stadio distans, sese invicem insectentur necesse, dum ipsi quid agendum consulant. Quae etsi est victa difficultas, minime tamen

recuperabitur tempus in cunctando consumptum. Sexta vix enim postmeridiana hora (italice usitato more computata), undecimo kal. majas, *John Young* et *Charles Duke* prima lunari solo vestigia imprimunt; mox, nullo fere temporis spatio intermisso, instrumentis ac machinulis constituendis, quae secum portaverunt, nec non suae nationis figendo vexillo operam dant: jam quinquies patrio more hic perficitur ritus. Nec laetitiam quin manifestam faciant se tenent caelestes viatores, quod ea expeditionis pars tam prospere cesserit; *Young* prior enim: «*Vos tandem tenemus —inquit— quasi arcana loca, Carthesii quae dicunt juga*»; pro sua autem parte *Duke*: «*Tam mirum stupeo spectaculum, ut ipse vix credam; elatam nobis mentem sentire liceat, tam fausto eventu, quod americanae stirpis originem traxerimus*».

Tempus nunc vere est, instrumentis hic illic constitutis, e vehiculo lunari («Orion») parvam autoraedam extrahendi, quam «Rover» dicunt, eique radiophonicam antemnam aptandi, qua statim primae propioris plagae imagines variis coloribus impressae eaeque nitidiores in Terram transmittantur.

«*Decem pedes a quodam cratere absumus —ait Young—, qui saltem triginta quinque pedes, ex mea sententia, depressus est*», dum interim ipse locum conspicit, ubi lunare vehiculum se paulo ante posuit: plaga enim magis impervia est quam pro communi opinione.

Postquam quandam rerum naturae exquirendae officinam, vi atomica actam, constituerunt, autoraedam exploratores moderari coeperunt, calculatorio instrumento usi, ut qua ipsos ducat via noverint, cum sit compluribus foveis passim interjectum solum, quas potius crateres dixeris. Haud multum abest quin horam primam signent lanceolae, decimo kal. maj., cum *Duke* et *Young*, in vehiculum, non longe consistens, reversi, pretiosum lapidum pulverisque acervum deponunt; duo praesertim e lapidibus, albo colore, magni esse momenti poterunt, ut studiosi viri arbitrantur, ad doctrinam de Lunae constitutione confirmandam.

Duae supra quintam postmeridianam horam partes, alterum explorandi satellitis iter sunt cosmonautae ingressi, autoraeda (anglice «rover»; latine «erraticum» dicta) vecti: saxum eni igitur editum locum aggrediuntur, ducentos prope passus se in sublime attollentes; regio, primum aliquantum aequa, magis ac magis impervia gradatim dein est euntibus facta, adeo ut sensim velocitas minuatur. In ardui clivi latere breves planities patent foveis frequentes, quarum ex una, septingentos pedes in sublime edita, apud cratera «Crown», cosmonautae, paulisper morati, vehiculi lunaris exemplar, in imis jacens, stupentes cernunt, quo mox se recipiunt, quarta et vicesima jam hora exacta, cibo somnoque corpora refecturi, non prius quam grave simulque pretiosum lapidum pulverisque onus autoraedae imposuerint.

De stellarum astrorumque conformatione disciplinae studiosi,

qui rebus ad volatus pertinentibus apud urbem Houston, Americae Septemtrionalis foederatam, praesunt, magna nituntur spe futurum ut exploratoribus lunaribus quendam lapidem, «basaniten» vulgo dictum, e vulcania origine invenire contingat; quem qui invenerint fore ut expeditionis et ex periculis et ex incommodis et ex ipsis impensis large reficiantur.

Somno jam cosmonautae experrecti, curis septem horas continenter laxatis, tertio ac postremo lunare solum exploraturi egrediuntur per quinque semis horas, tum viam aegre carpentes, tum erraticum adhibentes vehiculum (anglice «lunar rover»). Quo de munere certiores facti viri rerum ad volatum pertinentium peritissimi, haec maxime admirati collaudarunt: septemtrionalis «Ray» crateris nec non plagae descriptionem, quae ad pedes «Fumosi Montis» (anglice: *Smoky Mountain*) porrigitur; varia atque copiosa lunaris soi collecta exemplaria; imagines pelliculis impressas in Terram transmittendas per machinulam autoraedae impositam; saxosas denique rupes exploratas, nonnullas instar aedium excelsas. Exploratione ultra decimam postmeridianam horam protracta, *Young* et *Duke* autoraedam ad lunare vehiculum dirigunt, quam saxis, lapillis, sacculis e terebrata soli crusta refertis ad vacuandam summa nituntur ope: quacumque denique re, quam apud planitiem «Cayley» nec non in montana crateris «Carthesii» plaga secernendam censuerint.

Paulo plus tertia supra alteram horam parte, VIII kal. maj., superior lunaris naviculae pars, arios hospites vehens, cum sit jam ex inferiore sejuncta, Lunam orbitare coepit, principem capsam («Casper») insectatura, qua comes *Mattingly* quartum jam diem satellitem circumire pergit. Altera paulo post exacta hora, eadem naviculae pars principem capsam arripit; itaque cosmonautae, una rursus versati, in Terram, itinere retro verso, reditum demum comparant.

Eadem interea pars, e principe capsula expulsa, in lunari solo illisa confringi oporteat, cum nihil jam amplius ea opus sit; nisi quod, cum effici e Terra nequiverit impulsus, satellitem usque ad extremam velocitatis vim circumire ipse perget. Quam vero priusquam reliquerint cosmonautae quendam exiguum satellitem manu factum ex ostiolo in aetheria spatia proiciunt (quod in proxima quoque superiore expeditione factum est), hujus consilii gratia, ut terrigenas certiores faciant de lunaris gravitatis vi deque vento quem dicunt solari, videlicet ad magneticas Lunae vires explorandas ac radios emittendi virtutem experiundam.

At aliquid temporis, a laboribus vacui, in corporibus reficiendis tandem aeriis viatoribus consumere liceat; en igitur ipsi ad cenam hilares accumbentes; varius escarum ordo: lycopersici liquamen saccharo confectum, vermiculata pasta lycopersici decocto condita, per-

sica mellito suco immersa, Cereris fruges jucundo armeniacy pomi sapore, avellanae nuce, fabae mexicanae liquamen.

Haud brevior somno dein refecti, jentaculum sumunt ex ordine: ova perfriata, suilli ventrioli micas, obtrita frumenti grana, citri sinensis sucum, mexicanae fabae liquamen. Ad prandium tertio serius accumbunt, cujus ordo: jusculum oryza fartum, gallinacea caro, pira, obtrita frumenti grana quadra figura confecta, sucus citreo ac malo medico expressus.

Octavo idus maj., ad tres supra nonam postmeridianam horam partes (italice more solito computatam), cosmonauta *Thomas Mattingly*, cujus nullam fere mentionem adhuc fecimus, quippe qui unus ad orbitandam Lunam incubuerit, e capsula principe («Casper») demum egreditur, ut per inania, ex eo quod expeditio sibi proposuerit, libere peragret arculam quandam recuperaturus, qua cinematographicae sunt taeniolae conditae: de septingentis supra mille impressis imaginibus agitur, quibus deinceps novam satellitis tabulam, perspicuis ac diligentissime definitis notis auctam, cosmographis atque cartographis describere licebit. *Mattingly*, sic propria indutus tunica ac tantum umbilicali quem dicunt funiculo retentus, plus quam horam est per inane commoratus, ad ejusdem capsulae ostium bis tamen reversus, recuperatas taeniolas loco ex industria constituto repositurus. In capsulam porro non ante se recipit quam centies centena milia «microbacillorum» in immensum libere projecerit, eo consilio ut «biologiae» studiosi experiantur quomodo in hujusmodi vivendi ratione et sub emissis spatii radiis eadem «microbacilla» se gerant; unde cogi possit num, immo quousque, per aethera spatia animantibus superesse liceat, cum aliae deinceps aliaeque sint res cosmonauticae gerendae, ad Martem stellam, ex. gr., prae ceteris explorandam.

Intus in astronavi, ad suam simplicem redacta forma, lunari jam navicula expulsa, una demum versati cosmonautae omni studio incumbunt ad rem suo quamque loco digerendam: nonnullos sacculos saxosis soli exemplaribus repletos, quasdam arculas peculiaris pulverisque specimina custodientes, impressas denique pelliculas diligenter convolutas.

Quinto kal. maj., tertia postmeridianae horae nonae exacta parte, astronavis *Apollo XVI* («Casper»), plus quam undecim dierum itinere peracto, per octies centena milia chiliom. emenso spatio, spumosa Oceani Pacifici aequora tandem attingit, haud multo longe ab insulis, quas Hawaii nuncupant: non aliter quam in proxima superiore expeditione, capsula *Apollo XVI*, aliquantum e Terra adhuc distans, triplici adaperibili umbella freta ne ob terrestrem attrahendi vim afflicteretur, primum mergi, mox autem emergi videtur; eam tamen, partim inclinatam, aerobisticae quaedam machinae (folliculi potius dixeris) sursus erigunt. Cosmonautas, per ostium in cymbam gummean ex

ordine desultos, aëria quaedam machina, heliis instructa, auto-gyrus vulgo nuncupata, intorti chalybeji funiculi ope attollit ac brevi in superno navis tabulato, aërovehiculis gerendis instructae, cui nomen «Ticonderoga», deponit. Festis vocibus eos classiarii excipiunt, *io triumphe!* unanimi conclamantes; inter clamores inferum navis constratum petunt triumphantes viri, qui breviori medicae inspectioni subeant ac balneis pensilibus tamdiu optatis se supponant.

Paulus P.P. VI., Richardo Nixon, Foederatarum Americae Civitatum praesidi, magnam suam laetitiam pro felici rei exitu exprimit, gratias simul agens «*Caelorum Domino, qui nobis magis magisque perspicue suae creandi virtutis mirabilia manifestat*», homines postremo hortatus ad «*mutuum fraternitatis motum*» quaerendum.

Prof. JANUARIUS MARINELLI  
Via Salvator Rosa, 241  
NEAPOLI (in ITALIA)



# QUAEDAM NOVA DE CAESARE INTER SCALDIM ET RHENUM BELLA GERENTE <sup>(1)</sup>

## A) TRIA LOCA CAESARIANA NUPER REPERTA

1. ATUATUCORUM OPPIDUM ANNIS ANTE CHR. n. 110-57 (Caesar, *B. G.*, II, 29 sq.).

Anno circiter 110 ante Chr. n. Cimbri Teutonique, populi Celtici, id est Gallici, Rhenum transgressi, in Galliam irruerunt; Caesar tradit Belgas solos esse qui, omni Gallia vexata, eos intra fines suos ingredi prohibuerint (II, 4, 2). Itaque barbari, priusquam in Celtas invaderent, «iis impedimentis quae secum agere ac portare non poterant citra flumen Rhenum depositis, custodiam ex suis ac praesidium <X> VI (vel potius <XX> VI) milia hominum una reliquerunt», qui postea a finitimis (ut ego existimo) Atuatuci vocati sunt. «Hi post obitum eorum» (id est Cimbrorum et Teutonorum annis 102-101 ante Chr. n.), «multos annos a finitimis exagitati» (id est praesertim a Germanis Cisrhenanis), «pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerant».

Hic idem locus est in quo Atuatuci anno 57 ante Chr. n., devictis prope flumen Sabim Nervii, ex horum finibus redeuntes, a Caesare circummuniti sunt. Quod oppidum «egregie natura munitum..., cum ex omnibus in circuitu partibus *altissimas rupes dejectusque* haberet, una ex parte *leniter acclivis aditus in latitudinem non amplius*

---

1. Haec ex duobus libellis meis breviter contracta sunt qui editi sunt prior anno 1960 (*César dans l'est de la Belgique: les Atuatiques et les Eburons*, in *Les Etudes Classiques*, Namur, pp. 129-204), ulterior anno 1972 (*Trois localisations nouvelles: l'oppidum des Atuatiques de l'an 57 avant J.-C., l'atuatuca éburonne de 54-53 et les frontières des Atuatiques et de leurs vassaux, les Germains cisrhénans*, in *Romana Contact* (778, chaussée d'Alseberg, 1420, Braine-l'Alleud), III-IV, pp. 3-67).

*ducentorum pedum relinquebatur»* (id hodie dicimus 60 m.); «quem locum duplici altissimo muro munierant» (II, 29, 3). Caesar autem, ne Atuatuci ex oppido in Romanos excursiones facere pergerent, eos «*vallo pedum in circuitu XV milium*» (id est III milium passuum uel, ut hodie dicimus, 4 km. 1/2 circummunivit (II, 30, 2).

Hoc oppidum Gallicum, quo Atuatuci circa annum 100 ante Chr. n. adversus Germanos Cisrhenanos, anno autem 57 ante Chr. n. adversus Romanos se defenderant, prope flumen Mosam viri docti locare consuerunt in iis locis qui hodie nominantur Namur (Champeau) vel Huy (Falhize) vel Saint-Servais (Hastedon). Attamen primo nullus ex his locis cum Caesaris descriptione locorum plane congruit praesertim de mensuris et muri Atuatuci et valli Romani; deinde nullo modo verisimile est Atuatucos, qui Romanos, nedum timeant, irrident, duobus utique itineribus in Nerviorum finibus ad reditum factis, usque ad extremos fines suos per septem dies et per centum milia passuum ante Romanos fugisse, terram suam totam hostibus occupandam diripiendamque tradentes; denique Cimbros Teutonisque, cum Belgae, id est Nervii et Remi, eos intra fines suos ingredi prohibuerint, necesse est, quoniam totam deinde Galliam vexaverunt quae postea Celtica nominata est, iter flexisse in fines gentium quae non Belgicae erant, id primo Treverorum, deinde Mediomatricorum et forsitan Leucorum, quae loca appellari solent «*la trouée de Metz-Nancy*». Quamobrem iterum necesse est illud Atuatuorum oppidum propinquum esse Nervii et Remis atque ideo in ea regione situm esse quae hodie dicitur «*Entre-Sambre-et-Meuse*»: Nervii enim in orientis solis partibus continebantur fluminibus quae hodie vocantur Dyle et Lasne, circiter inter urbes Wavre et Chimay, Remi autem in iis partibus quae ad septentrionem vergunt fluminibus quae hodie nuncupantur Meuse et Semois, circiter inter urbes Chimay et Bouillon.

In hac ipsa regione locum quendam ignobilem nuper repperi qui et cum his necessitatibus et cum Caesaris descriptione locorum plane congruit praesertim de mensuris et muri Atuatuci et valli Romani. Hic locus ex monte lapideo constat qui continetur primo sinu fluminis Viroin (quod prope urbem Vireux-Molhain in Mosam influit) et inter vicos Dourbes, Nismes et Olloy situs est et nomen habet «*Les Abannets*». Hic cuncta plane congruentia reperiuntur ea quae Caesar dixit: et «*vallum pedum in circuitu XV milium*» (in iis collibus qui montem lapideum undique circumeunt) et «*altissimae rupes dejectusque*» (nam apud flumen Viroin locus altitudinis est 140 m., in ipso autem monte 200 atque etiam 220 et 225) et «*leniter acclivis aditus*» (2 pro 100, id est 10 m. pro 500 m.) «*in lati-*

*tudinem non amplius ducentorum pedum», id est 60 m. (nam, cum inter duos dejectus qui ad septentrionem et ad meridiem vergunt intersint fere ubique 250 m., hic tamen solum 60 m. relinquuntur, quia, cum majorem latitudinis partem obtineat terrarum ingens hiatus, ubi jampridem Celtae necnon fortasse adeo sub Caesare Atuatuci metalla effodienda curaverant, moenia omnino supervacanea hac parte videntur).*

Deinde hoc oppidum propinquum est Nervii et Remis, qui Cimbro Teutonisque intra fines suos ingredi prohibuerant: nam milibus passuum circiter XVII abest a finibus communibus Nerviorum et Remorum et Atuatucorum, qui prope urbem Chimay conveniunt.

Postremo in septentrione viae cuidam Romanae adjacet quae nunc dicitur via Romana XVI (Amiens-Chimay-Cologne) et probabiliter jam antea Gallica metalla et oppida vel castella junxerat, quae multa sunt in ea regione inter urbes Chimay et Vireux.

## 2. ATUATUCA, CASTELLUM EBURONICUM.

In hoc castello anno 54 ante Chr. n. Sabinus, anno autem 53 Q. Cicero castra collocavit. «Hoc est fere in mediis Eburonum finibus» (VI, 32, 4) et inter Mosam et Rhenum (ut ex V, 24, 4 apparet). Hic locus situs est neque in urbe vel prope urbem *Tongres* (quae sane sub imperatoribus Romanis «Atuatuca Tungrorum» nominata est, sed nullo modo sub Caesare id castellum Eburonicum esse potuit de quo Caesar mentionem fecit) neque in vico *Limbourg-lez-Dolhain* (ut ipse cum quibusdam credidi), sed, ut nunc existimo, in vico *Balmoral prope urbem Spa*: nam hic quoque ea loca quae repperi cum Caesaris descriptione locorum plane congruunt.

Primo enim locus peridoneus est castris Romanis, quia toti regioni imminet praesertim ad urbem Spa versus; deinde anno 54 ante Chr. n. Ambiorigis insidias, quae factae sunt «a milibus passuum circiter duobus, ... cum jam se major pars agminis in magnam convallem demisisset» (V, 32), veri simillimum mihi videtur in ea magna convalle comparatas esse in qua patet urbs ipsa Spa praesertim prope ea loca quae Marteau et Vêqueterre appellantur; denique anno 53 ante Chr. n. «unus collis» inter Ciceronis castra et quinque cohortes situs quas Cicero «in milibus passuum tribus» frumentatum miserat quasque Sugambri, a Rheno profecti, adorti sunt (VI, 36 et 40) locum plane congruentem habet in vico *Tiège*, qui ab atuatuca duobus milibus abest.

### 3. FINES ATUATUCORUM ET GERMANORUM CISRHENANORUM.

Inter doctos constat post Caesarem imperatores Romanos et episcopos christianos civitatum Gallicarum fines servare solitos esse; «archidiaconatus» autem, id est dioecesis partes, in populorum Galliarum finibus inniti non consueverunt, quoniam civitates eae ex una tantum gente constabant et archidiaconatus multis saeculis post Caesarem creati sunt. Attamen in Tungris exceptionem fieri necesse fuit, quia haec civitas non ex una gente constabat, sed ex variis populis ab Augusto facta erat, quorum quinque erant Germani Cisrhenani, sextus autem Atuatuci, qui ante Caesarem inter Germanos Cisrhenanos dominari consueverant, sicut ipsi Caesari declaraverunt (II, 31, 6): quamobrem verisimillimum esse mihi videtur et ab imperatoribus et ab episcopis horum sex populorum fines conservatos esse in archidiaconatibus Tungrorum.

Igitur sub Caesare hi fines eorum fuerunt, sicut ego existimo: *Atuatuci* habitabant in archidiaconatibus qui dicuntur *Hainaut* et *Famenne* (in quibus haec flumina manant: Sambre, Meuse, Semois, Lesse, Lomme; haec autem regio his locis fere continebatur qui hodie nominantur in occidentis solis partibus Wavre, Chimay, Bouillon, in orientis autem solis partibus Gembloux, Marche-les-Dames, Namur, Sinsin, Marche, Ochamps; *Condrusi* in archidiaconatu *Ardenne* (inter Recogne-Saint-Hubert et Stavelot-Francorchamps-Baraque-Michel); *Segni* (qui Condrusorum clientes fuisse mihi videntur et idcirco (II, 4, 10) a Remis non inter Germanos Cisrhenanos nominati sunt qui in communi Belgarum concilio anno 57 ante Chr. n. copias adversus Romanos polliciti erant) in triangulo in quo sunt hodie urbes Vielsalm, Thommen et Saint-Vith; *Caerosi* et *Paemani* (vel *Caemani*) in *parvis* archidiaconatibus qui nominantur *Hanret*, *Hainaut*, *Brabant* (id est inter urbes Gembloux—in Atuatucis— et Liège—in Eburonibus—), quia necesse est eos et finitimos fuisse Atuatucis, qui inter eos dominabantur, et non vicinos fuisse Segnis Condrusisque, quoniam non, ut hi, sibi Caesarem minari existimaverunt, a Rheno ad atuatucam Eburonicam Balmoral venientem; *Eburones* in reliquis archidiaconatibus Tungrorum qui nominantur *Brabant*, *Hesbaye*, *Condroz*, *Campine*, *Rhénanie*, *Eifel*, *Oesling* (in septentrione usque ad confluentem Mosam et Vacalum, id est Rhenum, ubi Menapiorum fines attingebant sub Caesare).

Augustus autem, ut Romanorum caedem anno 54 ante Chr. n. ab Ambiorige factam vindicaret, Eburonibus duas regiones abstulit: primo in orientis solis partibus eam regionem quae postea «diocèse de

Cologne» nominata est Ubiis dedit, ab Agrippa citra Rhenum tractis, sicut bene notum est; deinde in meridie eam regionem quae postea «archidiaconé de Condroz» dicta est et patebat inter ea flumina quae nunc dicuntur Meuse et Vesdre, id est inter vicus Dinant et Raeren (non longe ab urbe Aix-la-Chapelle), Condrusis dedisse mihi videtur, qui anno 53 ante Chr. n. Caesari persuaserant «nihil se de bello cogitavisse, nulla Ambiorigi auxilia misisse» (VI, 32, 1): ab eo igitur tempore Condrusos nomen suum regioni imposuisse veri simillimum est meo quidem iudicio.

Veterem illam societatem Germanorum Cisrhenanorum idem Augustus, ut opinor, renovavit, adjunctis Atuatucis, sub nomine novo Tungrorum: *germani* enim nomen est non Germanicum, sed Celticum et potius Belgicum (sicut ex Taciti Germania, 2, 5, colligi potest), quod significat vel fratres consanguineosque vel foederatos (sicut etiam postea nomina illa Germanica Deutschen et Alemannen); *tungri* autem nomen Eburonicum est, quod significat foederatos ad iusiurandum addictos (mihi veri simillimum esse videtur hoc nomen propter Atuatucos electum esse); *atuatuca* quoque nomen Eburonicum est, quod significat castellum (sicut ipse Caesar testari videtur, VI, 32, 3-4); *atuatuci* denique nomen Eburonicum est, quod designat incolas castelli (anno circiter 100 ante Chr. n.) vel castellorum (annis sequentibus).

## B) NOVA HISTORIA RERUM A CAESARE INTER SCALDIM ET RHENUM GESTARUM (57-50)

57: *Nervii* apud flumen Sabim, quod olim Sabella, deinde Sevela, postremo Selle, ut hodie, nuncupatum est, prope vicum Saulzoir, qui non multum abest ab urbe Cambrai, a Caesare devincuntur; deinde *Atuatuci* in primo sinu fluminis Viroin, quod in Mosam influit, a Caesare circumveniuntur in loco qui hodie appellatur «Les Abannets» et pars est vici Dourbes: ibi Cimbri Teutonique custodiam et praesidium ex suis anno 110 ante Chr. n. reliquerant et Atuatuci per quinquaginta annos Germanis Cisrhenanis atque etiam fortasse Nervii et Remis et Treveris restiterant, dum Caesar anno 57 ante Chr. n. Germanos Cisrhenanos et imprimis Eburones ab Atuatucis liberavit.

56-55: *Usipetes et Tenchteri*, Germani Transrhenani (qui tamen, sicut Germani Cisirhenani et Belgae, inter Celtas vel Gallos numerandi sunt), in Menapios perveniunt in eam regionem quae nunc Nederland appellatur et Rhenum transeunt «non longe a mari quo Rhenus influit» (IV, 1, 1: quae pars Rheni hodie vocatur *Oude Ryn*, vetus Rhenus), id est non, ut docti dicere solent, prope urbes Clèves vel Goch vel Xanten (quae loca a mari centum utique milibus passuum vel 150 km. absunt), sed *inter urbes Leiden et Utrecht*; cum autem ibi hiemavissent, anno 55 ante Chr. n. per eam regionem quae nunc vocatur Campine, id est inter urbes Roermond et Antwerpen vel inter Mosam et Scaldim, in fines Eburonum (prope vicum Balmoral) et Condrusorum (prope vicos Francorchamps et Stavelot) perveniunt. Caesar, «cum ab iis locis paucorum dierum iter abesset, quibus in locis esse Germanos audiebat», id est cum esset circiter prope urbes Thommen vel Saint-Vith, Germanorum Transrhenanorum legatos accipit et eis suadet ut in Ubiorum finibus considant trans Rhenum inter urbes Bonn et Mayence; eos tamen prosequitur et, «cum ad confluentem Mos<ell>ae et Rheni pervenissent» (IV, 15, 2), id est prope urbem quae idcirco olim Confluentes, nunc Koblenz appellatur, eorum magnum numerum interficit in Treverorum finibus, non longe tamen a finibus communibus Treverorum et Eburonum, qui in eo loco conveniebant qui hodie dicitur Vinxtbach et «finium rivus» significare censetur.

54: *hiberna castra Romana.*

*Sabinus* cum *Cotta* hiemat «in mediis fere Eburonum finibus «in vico *Balmoral* prope urbem Spa, *Q. Cicero* «in Nerulis» in confinio Atuatucorum et Eburonum in vico *Tombeek* prope urbem Wavre, *Labienus* «in Remis in confinio Treveronum» et Atuatucorum in vico *La Chapelle* non longe ab urbe Bouillon, quae Atuatucorum erat: quorum trium locorum *interualla* plane congruunt cum iis quae ex ipso Caesare colligi possunt et a Gallis traduntur (qui Galli sunt *Ambiorix* et *Remi*), id est cum 50, 55 et 60 milibus Gallicis (quae, ut hodie dicitur, 2222 m. habent) vel cum 111, 122, 133 km. Quae hiberna nequaquam a Gallis obsidentur, sed *Ambiorix* cohortes XV Romanorum in Eburonibus ab atuatuca *Balmoral* duobus milibus interficit, sicut antea diximus.

53: *bellum Caesaris aduersus Ambiorigem.*

Caesar *Basilum* cum equitatu praemittit ab urbe Koblenz ad atuatucam *Balmoral* et «monet ut ignes in castra fieri prohibeat ne

qua ejus adventus procul significatio fiat» (VI, 29, 5); Basilum ergo necesse est castra posuisse in loco Eburonibus vacuo, id est, ut mihi videtur, inter «continentes paludes» quae nunc vocantur Hautes-Fagnes in eo ipso loco qui etiam nunc appellatur *Sètcht-champ*, id est siccus campus, in monte qui nominatur Rigi; inde mox post circiter decem milia passuum, id est post horam unam, cum equitibus suis «ad ipsum Ambiorigem contendit..., incautum atque imparatum» (VI, 30, 1), ergo apud unam ex proximis urbibus Eupen, Dolhain, Verviers; postremo Caesar ipse ab atuatuca Balmoral, ut ipse narrat (VI, 33-1-3), «T. Labienum ad Oceanum versus in eas partes quae Menapios attingunt proficisci jubet» (id est ad urbes Leiden et Utrecht versus), «C. Trebonium ad eam regionem quae ad Atuaticos adjacet depopulandam mittit) (id est ad urbem Dinant versus), «ipse ad flumen *Sualbim*, quod influit in Mosam, extremasque Arduennae partes ire constituit, quo cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat» (id est ad flumen quod hodie vocatur Zwalm et prope urbem Roermond in Mosam influit et ad silvam quae hodie vocatur Hertogenwald).

«Ambiorix sibi quemque consulere jussit. Quorum pars in Arduennam silvam» (id est in eas regiones quae hodie vocantur Hertogenwald et Eifel), «pars in continentis paludes profugit» (id est Heutes-Fagnes); «qui proximi Oceano fuerunt, hi insulis sese occultaverunt quas aestus efficere consuerunt» (id est insulis quas non maris sed fluminum (ut Mosae et Rheni) aestus, aquis crescentibus vel decrescentibus, efficere solent, sicut antea in Nerviiis «aestuaria», ubi Nervii majores natu cum pueris mulieribusque collegerant (II, 28, 1), non prope urbem Antwerpen, sicut docti dicere solent propter mare, sed in flumine Scaldi, prope urbem Cambrai, aquarum auctu et recessu fiebant); «multi, ex suis finibus egressi, se suaque omnia alienissimis crediderunt» (id est forsitan Menapiis, sed probabilius, ut mihi quidem videtur, Germanis Transrhenanis, quibuscum Germanos Cisrhenanos continenter bellum gerere contendit Caesar (I, 1, 3).

Qui omnes Caesaris impetus adversus Eburones frustra facti sunt (bis eodem anno 53, semel anno 51 ante Chr. n.), ut ipse Caesar fatetur et congruenter explicat «in omnes partes dispersa multitudine» (VI, 34, 1), quia «Ambiorix, dimissis per agros nuntiis, sibi quemque consulere jussit» (VI, 32, 1): itaque Caesar nequaquam conatur «ut, magna multitudine circumfusa, pro tali facinore stirps ac nomen civitatis tollatur» (IV, 34, 8).

Nomen autem hoc civitatis, id est Germanorum Cisrhenanorum, abstulit Augustus: ab eo enim imperatore Germani Cisrhenani, ad-

junctis Atuatucis, novo nomine Eburonico Tungri appellati sunt, ut Tacitus in Germania, 2, 5, testatur; a quo nomine orta sunt nomina et urbis et dioecesis; postea autem dioecesis nomen novum cepit ab aliis urbibus, quae appellatae sunt Mosae Trajectus (Maastricht) et Leodium (Liège).

Sic, tribus locis caesarianis nuper repertis, illustratur lumine novo et inexpectato et primum fit simplex et cohaerens historia earum regionum quae inter Scaldim et Rhenum patent et hodie nomen habent recens Bénélux.

ALBERTUS GRISART

Litterarum latinarum et graecarum Professor

67 Avenue de Thiervaux

4802 HEUSY - VERVIERS, Belgique.

## SEMINARIUM LINGUAE LATINAE COLENDAE ET EXERCENDAE

Diessae, in oppido Bavariae superioris ad lacum Ambronem sito, qui circiter quadraginta chiliometris a Monaco, urbe Bavariae principe, abest in occidentem versus, habebitur a die 30 mensis Julii usque ad diem 10 mensis Augusti (a. 1973), ubi sermo cottidianus sive in scholis (collocutionum et narrationum et lectionum et scriptio-  
num [et artis grammaticae, quantum erit singulis libitum] sive horis otii vel temporis subsicivi vel ambulationum vel excursionum vel cantationum non adhibebitur nisi latinus.

Denique ad hoc latinitatis seminarium singulare participandum tales tantummodo admittuntur, qui per quinque minimum annos linguam latinam jam didicerunt.

Epistulae autem (interrogatoriae) mittantur ad hanc officii sedem:

Europa-Sprachklub

D-8 München 2

Schützenstrasse 1 III

Telephonum: 0811 / 59 15 23



# EX ACTIS CERTAMINIS CAPITOLINI XXIII

A. d. XI Kal. Majas cum Urbis Natalis dies in aedibus Capitolinis celebraretur, exitus certaminis pervulgatus est, quod omnibus, qui novae latinitati student faventque, Institutum Romanis studiis provehendis, summo rei publicae litterarum artiumque liberalium moderatore civitatisque Romanae praefecto auspiciis, jam vicesimum tertium indixerat.

Certamen quinque et triginta petitores adierunt, quattuor et viginti nimirum ex Italia, unus ex Austria, unus ex Britannia, unus ex Finnia, unus ex Gallia, duo ex Germania Occidentali, unus ex Hispania, tres ex Lusitania, unus denique ex Americae Septemtrionalis Foederatis Civitatibus.

Certamen erat de Lupa Capitolina, quam Romanae civitatis praefectus argenteam, eximia arte, effingendam curaverat, de argenteo praeterea nummo Capitolinarum aedium imaginem in antica, nomen vero litterati viri in altera parte praebente. Quibus praemiis summus litterarum artiumque liberalium moderator pecuniam insuper adici jusserat.

Quinque viri ad ipsum delecti erant, ut quid petitores prosa oratione valerent, quid facultate scribendi, judicarent, eorumque libellos per virtutis gradus distribuerent: SCAEVOLA MARIOTTI, Romanae Universitatis studiorum professor, RITA PALOMBINI, rei municipale consiliatrix, ANTONIUS TRAGLIA et VINCENTIUS USSANI, Romanae Universitatis studiorum professores, JULIANA FARENGA Graecis Latinisque litteris tradendis doctor. Ex his SCAEVOLA MARIOTTI praeses delectus est, ab actis vero JULIANA FARENGA.

Libellis diligenter perlectis, cum eorum virtutes penitus expendissent atque aestimavissent, illum —*Sacrum divi Augustini lavacrum*— inscriptum praeter ceteros quinqueviri insignem ex communi consensu judicare, concitatum et ardentem, quo auctor nitido atque amabili scribendi genere usus, exquisita doctrina semper adhibita, memoriam repetit divi Augustini ablutionis Mediolani, anno CCCLXXXVII, in die festi Paschalis pervigilio.

Alterum autem tenuisse locum libellus visus est, cui index *Expectatissimum totius saeculi largissimeque nummatum pugilatus certamen*, quo auctor, divite lingua, fluenti minimeque vulgari sermone, illam tam magnificam pugnam, qua Josephus Frazier principatum universorum pugilum mediomaximi ponderis conservavit atque retinuit devincendo subigendoque tandem adversario Cassio Clay, illustraverat.

Quinquevirorum collegium, scidulis resignatis uniuscujusque nomen continentibus, quas petitores iisdem sententiis ac libellos inscripserant, primum victorem THEODORUM CIRESOLA declaravit, eloquentissimum virum, qui libello *Sacrum divi Augustini lavacrum* inscripto certaverat, alterum vero REGINALDUM THOMAM FOSTER, qui libello cui index *Expectatissimum totius saeculi largissimeque nummatum pugilatus certamen* adierat.

Quinquevirorum collegium, praeterea, communi omnium sententia, statuit ut libelli, quos prae ceteris probandos censuerat, honorifica ornarentur mentione: COLIN AUSTIN *De comoedia Graeca*; DINI DE CASTRO *In Demetrium architectum*; THEBALDI FABBRI *Epistolae ex...schola*; HYACINTHI GUALTIERI *Bissula*.

Sincero ergo animo gratulamur Prof. THEODORO CIRESOLA quod primum in hoc Certamine Capitolino XXIII obtinuit praemium, simul atque lectoribus profiteamur opportune nos pulcherrimam narrationem vulgatuos colendissimi viri amiceque Palaestrae Latinae quae saepissime scriptis ejus honestatur.

## VI CONVENTUS STUDIORUM CLASSICORUM INTERNATIONALIS

Matriti in Hispania diebus 2-7 m. septemb. a. 1974 celebrabitur.

Cujus argumentum in universum erit: «RESISTENCIA Y ASIMILACION DE LA CULTURA ANTIGUA EN EL MUNDO MEDITERRANEO». Colloquium in Conventu quoque habebitur de studiis classicis cum scientiis recentibus conferendis. Praeterea nuper inventa resque novae praecipuae tractabuntur specialisque Conventus coetus dicabitur CXXIV anno natali Platonis.

Qui ampliorem Conventus notitiam sibi habere velit, Prof. adeat Emmanuel Fernández-Galiano. Comité Organizador del VI Congreso Internacional de Estudios Clásicos. Duque de Medinaceli, 4. Madrid (14).

# JULIA

CUM ferias agerem, hospitali receptus villula, eo in oppido cui nomen est Alassio —quo nihil pulchrius, nihil amoenius, nihil quietius esse videtur in caeruleis Liguria litoribus quae in longitudinem patent, haud procul a Gallorum finibus—, ferias, inquam, cum agerem perjucundas, abhinc decem menses sane, die quadam, en, subito et horrisono strepitu adeo excitatus sum, ut postmeridiana quiete cogitationibusve excussus ex eo prosilierim lectulo, ubi lassulum straveram corpus, nuper pransus, paulisper apricaturus.

Haud secus ac si essem fulmine ictus, cum equidem consurrexissem, glareosam argutisque soleis strepentem pratuli semitam citato cursu emensus, ad cancellos posticumque aedium me intuli, anxius ac sollicitus ne quid gravius accidisset: quod, enim, auribus modo perceperam, id immani formidolosoque quodam resonuerat fragore, veluti si caelum tonitru totum contremuisset, veluti si ingens terrae fremitus, cum strepitu ruentium tectorum flammaeque sonitu ac vi, vel perterricrepus ventorum turbo tunc exauditus esset.

Nempe, non infitior me subita inamoeni ejus fragoris opinione decipi ilico potuisse: quae in limine ipso protinus ego aspexi, graviora suspicatus, et neutiquam deceptum me esse confirmarunt, quamvis nihil atrox et immane tunc primo obtutu animadvertissem, cum duae tantummodo automatariae raedae in via publica transversae conspicerentur, quae veluti petulcae in se vehementer incursaverant, quarum altera, pergrandis cum esset, ex collis frontalibus incolumis evasisse videbatur, altera, autem, quae admodum erat pusilla, saucia quodammodo ac semiruta in dissipatis vitrorum fragmentis media jacebat.

Cum ego, ardore aliquo concitatus, ad male mulcatum currum subinde advolasse, non potui tamen, postis manubriolo lente cunctanterque arrepto, impetrare ab animo ut ilico inspicerem, nescio quid horrible visu effingens mihi, metuens ne corpori cuidam mortuo occurrerem, cui cruentis vulneribus alvus esset confossus idemque exta ostendens, cui vel rescissa exstarent brachia et crura dilaceratumque caput cerebroque ipso paene scatens...

---

\* A quinqueviris de «Certamine Capitolino» XVIII referentibus hujus libelli —qui hac sententia: «*Antiquus necdum pectore cessit amor*» erat inscriptus— «*Latinitas neque mendosa, elegans immo interdum*» est judicata.

Alioquin, nonnullis villulae hospitibus et ancillis ante januam stantibus, videndi audiendique studio impulsis at, horrore perfusis, quidnam accidisset ex me quaerere dubitantibus, parumper cunctatus, denique, stridentibus autocisii valvis enixe reseratis, quendam animi ictum protinus percepi, vasto illo postmeridiani temporis silentio, simul ac pusam quandam ego immotam et cruentiorem ora cruraque in subselliis jacentem inspexi, puellulam, inquam, rutilanti coma praeditam dimidiatisque indutam puerorum bracis, campestri quodam sufflavo, et versicolori subucula... —an pusio erat, promissa caesarie instructus, reiculo illo nostrae aetatis more? A, minime vero, mehercule!, cum intonsum et hirsutum quendam non esse puerum extemplo patuisset, at nimirum puellula videbatur, exiguis exstantibus sub veste uberibus! Quid tamen referre mea id poterat? Qualiscumque erat— etsi mihi parum probantur «juvenes, ut femina, compti», quos Ovidius poeta arcuisse adfirmavit<sup>1</sup> —, qualiscumque, vero, in summo versari discrimine videbatur, nisi e vita jam excessisset... Misella ea virgo, eheu!, mortemne ante tempus ita occubuerat? Itane animam efflaverat in trivio? Numquid vixerat? Nempe, animadvertenti mihi neutiquam spirare jam videbatur!

Quo equidem percussus maerore ac metu, vix procubueram, nisi repens me fulsisset quodammodo illius corporis fremitus, qui infantulam exanimem prorsus non esse significavit: quod mihi exinde persuasum est, ubi spirantem vel potius anhelantem sensi, ubi praesertim lacrimantes animadverti ejus ocellos, in me intentos ac veluti opem implorantes...

Bene, io!, quoniam vita adhuc fruebatur virgo, quae vita expers visa nuper erat mihi! Peroportune ac tempestive adfueram auxiliaturus!

Talia agitantem tum deinceps aliquid me necopinato cohibuit: nam oculos in se convertit meos alter ejusdem autoraedae inquilinus, qui usque ad illud tempus recubans infra subsellia latuerat, vir quadraginta fere annos natus, ejus puellulae parens, scilicet, vel frater, et ipse curtis bracis succinctus, ubi primum brachia cruore respersa jactare sensim coepit, alternis manibus vehiculi gubernaculum complexus... Appellavi hortaturus, proximum pollicitus auxilium, neque responsum tuli, namque ipsum ex artiore habitaculo se expedire conantem ac fere egressum alter vehementer increpuit autoraedarius, qui nullo vel levissimo accepto detrimento allata sibi damna omnino resarcienda esse dictitabat, rustica insuper ac turpia verba ingerens, manibus —quid hoc indignius?— ipsis in male mulcatum juvenem intentatis.

Quid facerem? Utri laborantium subvenirem priori, puellae an viro?

---

1. OVIDII *Heroides*, VIII, 73.

Sane, nihil fere temporis dubitandum putavi: vehicularem intuitus limis oculis tabellam, ex compendiariis litteris cum virginem ejusque comitem esse advenas comperissem, improbum ac veteratorum hominem praesenti animo objurgavi, quippe qui incolumis utique evasisset, cum peregrinus ille, qui eum italice loquentem intellegere nequiret, admodum esset vulneratus, neque vero is unus, quia intus, in quasa fractaque autoraeda, vulneribus quoque confecta jaceret puellula.

Haec effatus, contumeliosa rustici hominis cohibita iracundia, cum undique fieret concursus et plerique saucio peregrino palam faverent, nulla quidem interposita mora, exterritae virgunculae succurrere aggressus sum, quamvis nescius et incertus artus minime auctis malis elicerem... Deo, tamen, opitulante, quamvis fastidio quodam manantis cruoris affectus, expeditam atque eductam omnibus viribus attollere denique potui.

At ubi primum terram attigit, paulum afuit ut labans caderet virgo, quoniam vestigium eam repente fefellit: illud autem praecavendum mihi ratus, succiduis paene procumbentem genibus ego citissime excepi mediamque tenelli corporis partem amplexus et altero brachio ad humeros meos annisam cum sustinuissem, pedetemptim euntem deduxi, adnventibus adnuens deversorioli dominae et ancillis.

Paucis vix superatis liminis gradibus, en, promptissimus quisque eorum qui forte aderant e vestigio subducit mihi puellam ac sessum sedulo recipit eandemque in vimineum xysti solium impositam, sub tegmine pergrandis versicolorisque umbellae, circa stipat officiosus, mira quadam subveniendi alacritate impulsus, multa tamen agendo nihil prorsus agens: nam cuncti —satis superque crebros esse dixeris!—, sive hospites sive famulae, huc illuc cursitant anhelantes fodientesque inter se, fucata quadam vernilitate haud mollia hospitae jussa nihil abnuentes at miscentes omnia. Sunt enim qui ligamenta quibus sistitur sanguis quaerant vicissim ubi reperire liceat; sunt autem qui pocula ferant at vacua; sunt qui quaeritent unde paululum aquae hauriri possit; qui potionem recreandis viribus aptam potius ferri jubeant; qui sudariola, neutiquam munda, ostentent... — cum interea puella, solii adminiculo fulta, circumspiceret tacita et etiam tum trepida, quippe quae nuper adventantem paene vidisset Atropon...

Quid ego? Illo autem pietatis munere, quo non invitus suscepam, propere functus, nihil quicquam habui quod tum agerem, nisi spectavi, procul a ceteris moratus, me ipse in mea medendi inscitia objurgans: cur ego iners in medicinae arte puer versari nolui, conspecti cruoris fastidio sensim devicto? Si tunc patri paruissem meo, me hortanti ut in medicinae experientiam incumberem, litterarum studiis spretis et contemptis, misellae adulescentulae vulneri-

bus nunc quidem valuissem mederi... Me miserum! Quidnam usu potest turpius homini venire, quam se inutilem neque idoneum ad aliquid esse intellegat?

\* \* \*

Hoc tamen me adjuvit: omnibus enim omnia agere cupientibus nec quicquam denique proficientibus, temporibus usus, haud secus ac miles quidam, effetus quodammodo et fractus idemque sua bel-landi virtute parum confisus, cum occisum militiae ducem respicit et comites magis magisque paventes atque impares rei gerendae, se in confertissimam aciem, ad spem omnes erigendi causa, infert ardens, ita ego tunc meam atro sanguine nihil prorsus curans tunicam, quae candidior fuerat, medicamentariam capsulam ex alterius manibus impiger arripui, ex alterius poculum, cui nonnihil aquae oxygeno medicatae raptim cum infudissem, id sollicite ad stillans cruore os puellulae admovi, ut ipsa ablueret. Deinceps, medicamine illo usus, quod «jodium» vulgo dicitur, frontem ac tempora frustulo lini madefacto defricui, abstergens omnia, quoad tenuioribus vulnerum labiis manare destitit cruor.

Tumentia autem hiantis oris labella et gingivas et genas longis digitis contrectabat virgo, leviozem identidem ciens gemitum, cum praesertim dimotis compositisque crinibus candidam exploraret frontem, ubi tuberculum quoddam turpe eminebat, cum potissimum attingeret laceratam genus cutem, cui quoque mederi properavi, vixdum laborantem animadverti.

Iis denique suppeditatis quae ad recreandum ex ulcusculis essent necessaria (pro meis viribus, hercle!, inest conscientia mihi meae incultae et inopinatae peritiae, qua impulsus omnia tunc effecerim praecipua, vigentem ac parem me praestans negotiis, superillitis mature neque inscite medicaminibus ad expurganda omnia quae tabe infici possent, valetudinis tuendae causa saltem), denique, inquam, omnibus suavia solandi causa interea dicentibus verba, ut solet, puellae patrem, cui possem item mederi, jam quaeritabam, nimiis gratulantium vocibus inflatus, cum accitus, en, domesticus pervenit medicus, qui deversorii dominam ancillasque aegrotantem in cubiculum reducere iussit, quo melius nudatos artus exploraret, si quid ossium fractum esset: itaque reunctor ille qui fueram — eheu! — tunc ilico neglectus sum.

\* \* \*

Cum interim ex via in villulae hortulum uterque vir refugisset, nondum jurgare ambo desierant, cladis culpam alter in alterum coniciens, per officiosum scilicet interpretem ex iis qui frequentes circumsteterant, donec advena, prolixiorem sermonem abrupturus, cum

hoc potissimum exquirere vellet, in tuto essetne pupula, omnia in se unum congescit, quamquam is sane non erat qui magis quam ille machinarum rector peccasset, qui ad experiendam tantummodo freni vim, ruentem imprudens e vestigio continuerat raedam, quam in raedam incautus pusillae carruchae ductor protinus incidit, huiusmodi viae flexu ibi exstante: ergo adeo, ne hercule!, nullo pacto fieri poterat ut vehiculorum conflictus devitaretur.

Istam profecto cum sensissem meram fore stultiam, quae stomachum mihi moveret, nisi improbum calonem interpellassem quendam, quod nullum esset, ultro resarciri sibi vellet, porrigenti dexteram ad exigendum indebitum aes tum obviam prodii, vehementer objurgans quod nimia ejus convenae humanitate abuteretur, cum ipse extra culpam omnino non esset.

Tum ille: — «Heus! — inquit, linguam ab irrisu ultro exserens —, siccine ais? An furis? Age, abi in malam crucem! Quodsi autem tam bonus es, ut cuidam peregrino eidemque ignoto favere malis, detrimentum mihi allatum ipse statim resarci! An mavis tibi me occillare os? Recede actutum de medio!»

Quid ergo responderem ad istam impudicam impudentiam?

Vituperavi, cachinnavit.

Hic, si meis saltem consulere rebus voluissem, mihi commodus uni, potueram jam abire, alium quaerens locum: at, mehercules!, cur ego in illo ejus poscinummii scelere coniverem, juxta ac si consilii particeps essem? Cur arrogantem sermonem, cur sordes verborum ac praecipitem impetum paterer ignavus?

Cum igitur obicienti mihi multa aliquid infandum quodammodo subringens respondisset, maledictis ex trivio arreptis, acer et indomitus, minaci equidem vultu oppugnaturus steti: — «Quid ais tu? Ilicet, desine... Novi tuum animum, age! Ecquid? Pergratum tu mihi, per, inquam, tu mihi feceris gratum, si...» — ita alloqui hominem aggressus eram. At ruentem in me increpitantemque gravibus probris viarum vigilantes tempestive invaserunt, satis cum comperissent uter ei facinori esset obnoxius. Rursus, perdiligenter sciscitati quid ipse peregrinus in conflictu atque tritu autoraedarum passus esset, certiores porro facti de saucia puella, noxium hominem nequiquam se culpa carere clamitantem viocuri secum eduxere, quippe nullam nuper temptavisset viam quo rectius litem componere possent ambo, quin etiam, singulari incensus avaritia, aliquanto insolentius ipse lucrari voluisset.

Externus autem vir, in urbana vigilum castra viocuros sequi iussus, quo disertius testimonium diceret praesente eo qui stationi praesset, ubi adolescentulae meliuscule esse accepit, ex hortuli cancellis egressus ad inspiciendum cisium se contulit; paulo post cum rediisset, peras cistasque attulit, quas suae comiti tradendas incerto ore loquens italice mihi commisit.

Tum vero nomen candidulae virginis primum ego accepi, Juliam cum ille nominavisset.

Julia!: nempe, haud infrequens quoddam erat nomen, immo vero usitatum ac fere tritum; verumtamen, ut meis auribus repente visum est, sane suavissimum et jucundum, utpote mellitum, utpote resonans, utpote puellari aetati plane accomodatum ac nihilo minus muliebri quam maxime. Quod mihi mecum haec volutanti tum maxime persuasum est, cum redeuntem denuo prospexi puellulam muliebri ornatu indutam, niveo amictorio albaque fasceola, qua fulvi crines concinne erant colligati.

Quid ergo? Quam ego iterum conspexi, deinde deinceps, ea nec puellulam nec pusam se praebuit, sicuti puerili quodam vestimento indutam primum existimaveram, nec perspicienti mulier jure ac merito erat mihi ceterum appellanda, siquidem annos quindecim maxime natam diceres.

Nimirum, fieri potest ut fallar, tam pauci adolescentulae circumscriptis annis, quandoquidem inter omnes constat quam opinabilis sit mulierum aetas, quarum de annorum numero conicere si quis velit, haud scio an quod vero sit proximum fere attingere possit: quam ostentent ac profitentur, ea mulieres perarro cum utantur eatate, grandiores natu sunt ideo existimandae, nonnullis plerumque annis vel mensibus tantum.

Quid multa?

Inhiantibus omnibus, et ego attonitus tum obmutui, meis oculis vix confisus et etiam tum incertus eademne esset ipsa, quam vulnerebus onustam ex vehiculari calamitate dudum recepissem: tam pulchrum «bacciballum», si hac Petronii voce uti licet<sup>2</sup>, tam venustulam virginem se tum ostendit Julia, juxta senescentem nec bellam hospitam per scalarum gradus graviter cum descenderet, iis exornata vestibus, quas viatoriis cistis modo deprompserat. Speciosior utique illa apparuit omnibus mulieribus, advenis plerisque, quas mihi deversanti in eo oppido, cui nomen esse Alassio supra diximus, conspicere licuit, seu omnibus locis otiose pervagantes, seu nundinantes in tabernulis, levidensia amicis afferenda sciscitantes scrutantesve munuscula, seu marinis aquis usas arenosoque in litore stratas, seu cenantes in ipsis hospitii aedibus instructasve manubriatis reticulis ea pusilla ludentes pila, quam «ping pong» vulgo dicunt. Quarum rectissimae pleraeque, procerae erant nonnullae ac formosiores, haud invenustae erant plurimae neque incomptae: at nullam candidiorem amabilioremque illa fuisse existimavi puella, cujus equidem amore captum me esse ilico sensi ac percepi.

— «Puellulae amore...?!» — tetrico vultu et animo mihi infestō quaesiverit quispiam. — «Puellulae amore..., quid mirum?» — juvat

2. PETR. frag. Cod. Tragur. 61.



me integrum et sincerum improbissimo huic viro, si forte exoriatur, iterum dicere. Ne audeat, quaeso, mea ille perperam intelligere verba, in deterius interpretatus, casta incestis miscendo, laceraturus probum probroso ore virum! Singulari virginis amore sane non infitior me tum captum esse: quid turpe in me ideo reprehendi potest? Etsi me nulla, enim, compellat suboles patrem, patrio quodam amore tunc flagrare mihi visus sum, non libidine, at caritate quadam ejus male mulcatae virgunculae me tum exarsisse profiteor, at rectissima voluntate, at misericordia, at mira quadam pietate, veluti erga vulneratam volucrem me idcirco affectum esse denique assevero, quia sauciam, quia solam, quia miserandam nactus eram, perinde ac si orbatam matre filiolum, ideoque vehementioris amoris indigentem, sibi pater magis magisque diligendam censeat. Quodsi — ut quidem ego sentio, nihil veritus ne nimis videar malivolis aut insolens aut mendax —, quodsi, inquam, id recte percipere mente animoque nescit vel nequit iste complecti, cui natura non dedit ut aliquid humanitatis haberet, illud ejus Britannorum regis, cui nomen Eduardus fuit tertius, quem honoris causa nomino, obicere me juvat: «Male sit ei, qui de hac re improbum fecerit iudicium», quibus execratus vocibus, ut inter omnes constat, elingues quodammodo eos reddidit qui — cum elapsum forte femorale cingulum cuidam ille rex reddidisset matronae, comiter officioseque sublatum humo — temere obtrectabant, quippe qui in deterius trahere mallent quod limis oculis vidissent; tunc rex, ut suam ultro purgaret innocentiam, cum potissimum famae consulere vellet, equestrem condidit ordinem, quo nihil regalius exstitit, siquidem praeclara ejus ordinis insignia — femoralia ipsa cingula! — iisdem ille inscribi jussit verbis, quae Gallico tum forte usus sermone fecerat: «Honni soit qui mal y pense».

Sed haec hactenus: ad me ipse jam revertar.

Dixi equidem — et iterum dicere nunc juvat — mirifica me quadam incensum esse pietate in Juliam, quae nullam porro ad teneras malas oblinendas adhiberet cerussam ac purpurissam neque ceteris uteretur feminarum unguentis neque aureis inauribus gemmeisque ad exornanda membra monilibus. Addere juvat quod vestimenta ipsa, quamvis muliebriter nitida ac perpolita, putidam nihil ostendebant puellam. Additur ut... — quorsum igitur haec de persimplici ac modico Juliolae cultu ejusque aetatula? Quidnam est causae cur tam multa dixerim?

Quia, profecto, hoc accidit — nescio vel potius non intellego quomodo vel cur ita acciderit —, hoc, inquam, hoc accidit ut necopinato agitarem, si mihi umquam forte aliquando foret filiola, en, misellae candidissimaeque Juliae — quam in terris unam eo suavissimo nomine dignam putarem —, simillimam quandam habere me optaturum...

Enimvero caesios virgunculae ocellos, qui prae recenti metu tur-

giduli exstabant, mulcere tum voluissem, varie et copiose adludens, quo planius intellexeret Julia nihil prorsus insanabile esse sibi, e calamitate incolumis fere cum evasisset.

O, utinam ego hilarem tumidoque ore arridentem Juliolam aspicerem ejusque frontem denique remissam! O, utinam laetitia gestiens me ultro alloqueretur aut saltem mihi aliquid quaerenti ita responderet, ut ejus vocem audirem, quae procul dubio modulatio erat eademque canora et in numerum cadens...

\* \* \*

Omnibus jam stipantibus et certatim gratulantibus virgini ejusque comiti quod tamquam divinitus periculum uterque effugisset, et mihi tum bona visum est dicere verba: verumtamen, cum timidus ac verecundus secedere maluissem, seorsum commoratus ac veluti latens, omnino conticui, haud secus ac si lingua torpuisset, neque Juliae audire potui voculam, quam nemini stipantium exaudire tunc licuit, quia nihil garrulam se ostenderat virgo; nihil prorsus, enim, est locuta, ne ubi quidem petasatum, ut ita dicam, itineris socium vidit, qui, sarcinis jam collectis discedendique facultate a benevolentissima hospitii domina comiter petita, in limine ipso multas consalutantibus egit gratias, gallico sermone italicis aliquot interjectis verbis.

Gallice et ego tunc affatus, plurimam ei salutem dixi, votis omnibusque proficiscentem prosecutus, salutem dixi puellae, quae, lacrimulis abortis, tacito citatim egrediens mihi tum respondit ore.

\* \* \*

Ingratum illinc discedendi tempus jam aderat, quandoquidem lapsae — eheu! — tam fugaces erant feriae, ut me incautum fere necdum reffectis viribus laetum deprehendissent.

Juxta villulae januam, in pratulo ipso topiaria arte exculto, automatarum sarcinatus opperiebar carrucham, qua me ad longinquam curruum ferrata itinera transcurrentium stationem propediem vehi oportebat, aliquid mearum rerum interea meditans ac totus in illis (si recte memini, subdubitanti anceps erat mihi «De feriis Alsiensibus» an «De feriis Alassiensibus» ille Frontonis libellus inscriberetur...), cum puellam limis oculis conspicatus illac praetereuntem vehementius commotus sum, utpote qui Juliam necopinans revisissem. Quam simul atque respexi, negligentius antea cum starem, cancellis quodammodo innixus, actutum me erexi, ardore quodam incensus, nihil pendens animo... A!, numquam ego putaveram, ex ani-

mi mei sententia, fore ut ea, quam abeuntem haud siccis oculis consalutavissem, veluti filiam parens ipse, tam cito aliquando a me reviseretur, repente exorta! En, eam alloqui cupiens, iterum et iterum appellavi, paulisper consecutus...

Citatim illinc recedens tunc se convertit puella, ejus quoque se convertit comes: neuter tamen mihi respondit, quamvis ille quid vellem ego significasse et quaesisse mihi visus esset, quamvis illa nictans rideret...

Suscensui tum ipse iis ac mihi potissimum, id intuenti spectanti-que quod numquam credidissem, quid esset Julia denique cum patuisset, qualis esset, eheu!, sero cum intellexissem...

Namque illa, quam serica tunica amictam respexeram praetereuntem, ejus viri, quem imprudens patrem putaveram, ejus viri, inquam, ejusdem — si ipse idem erat quem primum videram —, amiculum esse vero tum se ostendit, utpote accepto sui comitis amplexu, neutiquam paterno amplexu, tam lascive ac mimice cum incederet, ut subita oculis tum ingereretur veritas. Columbulatim inter se osculantes — o amantes amentes! —, omnium qui spectarent immemores in publicum prodibant, alter alteram mira caritate complexus...

O quantum ejus puellae opinio incautum me fefellit, eheu! Quidni adfirmaverim? O dedecus! O lutum! O... — at sile, mea lingua! Vel potius, si his Senecae illius uti licet verbis<sup>3</sup>, hoc ipsum est fatendum: «Si quando fatuo delectari volo, non est mihi longe quaerendus: me rideo... Quis enim me stultior, quis ineptior me, quis inscitior, siquidem fieri potuit ut specie ego tantum deciperer?

Namque ea — quae nuptiis nondum idonea virgo videbatur, ubi primum ex quassata autoraeda eductam laborantemque vulneribus comiter curavi, quam muliebribus indutam vestibibus simplicemque munditiis iterum aspiciens in villula unice diligere coeperam —, ea repente patefacta est mihi — honorem praefor! — lupula quaedam, putidiuscula quaedam ex iis puellulis quae, ut ita dicam, pudicitiam habent in propatulo, dimidiata virgo, inquam, ex iis quae, nondum vigentes aetate at maturius perditae, eheu! nullo animi praeditae rubore lupantur per vias...

Equid? Mihine diligendam eam ego censueram, cui nomen jure et merito esset idem ac protervae Augusti principis filiae? Istine in- verecundae virgini, misericordia motus, timueran ego, missicius quidam reuctor? Hujusmodi leviculae pusae pius memineram? O singularem amentiam! Sane, pol!, qui potuerat id fieri ut deciperer, qui potuerat? Atqui evenerat! Horret etiam nunc animus tanti erroris imagine! Numquid est aliud?...

Nempe, Juliola illa, quam candidiorem protinus existimaveram,

---

3. SEN. *Ep.* 50, 2.

illa Juliola quam iterum nunc aspexeram dulce ridentem ac lascive incedentem, Juliola, vero, nihil aliud nisi quaedam erat mihi appellanda «Lolita», ut impudicissima quaeque impuberum virginum proprio nomine nunc vulgo appellatur!

\* \* \*

At id nonnumquam me volutantem coquit, in pectore fixum, atque angit, quod nonnullam in dubitationem adducor ipsane fuerit Julia, quam fastidians in limine ipso deversorii, eo in oppido cui nomen est Alassio, tum forte animadverterim, an puellula quaedam inverecundior, mihi plane ignota eidemque Juliae, quam pudicam modestioremque opinatus eram, admodum similis, si qua humani erroris culpa, si quo oculorum vitio teneri potui imprudens.

Procul dubio, quam rursus vidi profecturus, parum attentus cum essem, ea fuit puella quaedam, candidae Juliae similitudinem ferens...

An longa dierum series, denique, in oblivionem illius, quam forte conspexi, puellulae jam adduxit me?

Prof. HUMBERTUS DE FRANCO

Via del Velo, 13

95124 CATANIA (Catanae in Italia)

# BIBLIOGRAPHIA

GOODYEAR, F. R. D. — *Tacitus, The Annals*. Vol. I: Annals 1. 1-54. Ed. Cambridge at the University Press, 1972. Pag. X-367.

Ex sex voluminibus, quibus Professor Goodyear vult *Annales Taciteos* comprehendere, habes, lector humanissime, primum, quod, praeter brevem praefationem (pag. VII-IX), continet introductionem de codice Laurentiano Mediceo 68. I, de editionibus praecipuis, de quaestionibus quibusdam ad historiam et ad rationem historiam scribendi spectantibus (pag. 3-46). Sequitur textus apparatu critico ornatus (pag. 49-79). Postea invenies hujus primi libri *Annalium commentarios*, qui primam re vera partem ferunt in hac editione (pag. 83-330); demum additiones nonnullas ad rem criticam vel ad stilum Taciti pertinentes (pag. 331-350). Opus clauditur librorum notatione eorum nempe qui potius adhibentur in commentariis et rerum indice personarumque de quibus praecipue sermo fit. Non possumus non laudare hoc opus idque enixe commendare omnibus numeris absolutum.

WEINSTOCK, S. — *Divus Julius*. Ed. Oxford at the Clarendon Press, 1971. Pag. XX-470.

Argumentum hujus operis religio romana est tempore Julii Caesaris, ducto origine ab antiquo cultu Gentis Juliae Bovinae et disquisitionem protrahendo usque ad cultum Divi Julii imperatorum tempore. Agitur ergo de pristinis diis patriis, de doctrina religiosa apud romanos, de fide patrum, de sacerdotio et cultu deorum, de sacrificiis ceterisque rebus ad religionem

pertinentibus. Julius Caesar sua aetate centrum religionis obtinet, potius ut instaurator cultus patrum quam ut verus deus constitutus apud suos. Haec nova Caesaris Julii imago adumbrata proponitur in hoc amplissimo tractatu, quem magni quidem momenti reputamus.

BUSCHOR, E. — *Das hellenistische Bildnis* Ed. C. H. Beck, München, 1971. Pag. 112 2t 80 imagines.

In hoc volumine invenies exitus et conclusiones inquisitionis cujusdam, vi cujus in discrimen venerunt CCCC ferme antiquorum sculptorum graecorum imagines ab Alexandri aetate usque ad Augusteum saeculum, quarum LXXX nitidis plagulis ad finem voluminis lumine pictae prostant.

SAMUEL, A. E. — *Greek and Roman Chronology*. Calendars and Years in Classical Antiquity. Ed. C. H. Beck, München, 1972. Pag. XVII-307.

In collectione omni laude digna, cui index est "Handbuch der Altertumswissenschaft", nunc recens prodiit hoc volumen *De chronologia Graeca et Latina*, quod jam diu desiderabatur; in quo argumentum evolvitur magni momenti, quod minime caret difficultatibus, complectens historiam et rationem mensurae temporis tum apud Graecos tum apud Romanos. Agitur etiam de astronomia, quae ansam praebet chonologiae antiquarum civitatum; de calendariis astronomicis, de calendariis recentioribus graecis et romanis; demum de chronographia graeca et romana. Opus est absolutissimum suo genere atque argumento.

DE ROSALIA, A. — *Iscrizioni latine arcaiche*. Ed. Palumbo, Palermo, 1972. Pag. 150.

En tibi, humanissime lector, parvae molis opus, quod tamen magnum commodum praebiturum ducimus omnibus iis qui de lingua latina antiqua curant; continet enim inscriptiones latinas pristinas plus quam quinquaginta accurate selectas una cum earum fontibus (pp. 24-60); sequuntur commentarii varii et italicae interpretationes (pp. 61-143); praemittitur (pp. 5-23) expositio haud parvi momenti de lingua latina prisca et de ejusdem virtutibus. Hoc opus cum tractatu simili clarissimorum virorum Ernout, Diehl, Pisani conferre poteris, neque ex eo discrimine notatione non optima exhibit. Utilissimum putamus ad linguae latinae priscae cognitionem.

SALLAMANN, K. G. — *Die Geographie des älteren Plinius in ihrem Verhältnis zu Varro*. Ed. Walter de Gruyter, Berlin, 1971. Pag. XII-296 et aliquae tabulae geographicae.

Hoc opus magni momenti est in collectione vulgo dicta "Untersuchungen zu antiken Literatur und Geschichte", vol. II, a clavis. viris Henrico Dörrie et Paulo Moraux moderata; in eo enim accurate de fontibus quaeritur ad Geographiam pertinentibus praesertim in operibus Varronis et Plinii altioris. Notatu digna sunt quae de Julio Hygino in paginis 35-37 afferuntur. Notantur praeterea plura ad Hispaniam spectantia, ut conspiciere licet in indice, pag. 279. Omnia non perfunctorie aguntur, sed data opera, acute, attente, radicitus, magna textuum auctorumque copia, quos ad calcem prolatos invenies.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

SNOWDEN, F. M. — *Blacks in Antiquity. Ethiopians in the Greco-Roman Experience*. Ed. Harvard University Press, Massachusetts, 1970. Pag. XXII-364. \$ 12.50.

Africani, qui olim in Graeciam et in Italiam advenerunt, praecipui capitae historiae classicae participes exstiterunt. Quamquam subobscuri seu nigri advenae illi e vario multiplicique origine orti erant, et graeci et romani eos vulgo plerosque tamquam aethiopes habebant. Prof. F. M. Snowden per amplam historiae graecae et romanae aetatem (jam inde a temporibus homericis usque ad justiniana) quantum populus niger apud antiquos invaluerit subtiliter investigat. Auctor quoque totis viribus labefactare opinionem illam contendit qua, ut romani autumabant, aethiopes tamquam gens stirpe mysterio plena generata aestimabantur; sed contra fontibus litterariis, epigraphicis, papyrologicis, numismaticis, archaeologicis innixus, recentissima inventa anthropologica ac sociologica quibus stirpes humanae aerumque culturae altissime inquiruntur, ante oculos habens, litteras amplissime et classicas et primaevas christianas lustrans quam plurimas revocans imagines quibus homines nigri a graecis romanisque conspiciebantur in vita civili ut servi, viri publici, legati, milites veterani, athletae et ita porro, veram speciem effigiemque Prof. F. M. Snowden efficit gentis nigrae, quae antiquis temporibus inter cives plerosque albos sine discrimine habitabat magnique ab ethnicis et christianis sine ulla opinione praejudicata habebatur.

RENEHAN, R. — *Greek textual Criticism. A Reader*. Ed. Harvard University Press, Massachusetts, 1969. Pag. 152. \$ 4.75.

Praecipuum in primis criticae textualis videtur munus constituere atque

quam accuratissime comprobare verba quae apud quemlibet scriptorem in praesens inveniuntur; ad scriptores classicos quod spectat, quorum textus jam diu ex oculis et memoria hominum fere abierunt, prima exemplaria quae traditioni mandata sunt quamplurimis laborant mendis corruptelisque, quibus criticorum labor multo difficilior efficitur. Hoc opere Prof. R. Renehan id unum sequitur quo pacto scilicet scientia critica ad lectiones seligendas innitatur in ipsis scriptoribus legendis et in eorum probabiliori sensu detegendo. Quam rationem ac viam criticam textualem ut ostendat, Prof. R. Renehan seriem quandam affert singulorum exemplorum ubi quidam tractantur loci qui lectiones dubias continent. Cum uniuscujusque loci difficultates singillatim describit atque exagitat, causae subtiliter explicantur corruptionis textualis, ut sunt oculorum et aurium in legendo errores, interpolationes, transpositiones, lectiones ambiguae litterarum quae vulgo *unciales* appellantur, falsae vocabulorum divisiones ceteraque. Experientia fretus simplicemque in exponendo rationem cum alta rei cognitione conjungens, voluminis auctor opus divulgat quo propriam sententiam manifestat in antiquorum scriptorum verbis detegendis; cujus ope alumni, qui non nulla linguam graecam legendi facultate jam pollent, in via quae ad criticam textualem ducit magnopere adjuvabuntur.

ARNHEIM, M. T. W. — *The Senatorial Aristocracy in the Later Roman Empire*. Ed. Clarendon Press, Oxford University Press, 1972. Pag. XIV-258. L. 5.25 net.

Fuitne Imperium Romanum tardiore aetate regale civitatis genus seu monarchia ut semper ab omnibus fere aestimatum est? En quaestio praecipua quam hoc volumine Prof. M. T. W. Arnheim suscipit investigandam: quo

modo optimatum arbitrium seu senatoria praestantia sese erga imperatores habuerit aetate qua Diocletianus regnare incipit usque ad mortem Theodosii Magni (a. 284-395) perdurante. Quod nemo autem improbare potest est immutatio dominatus optimatum Constantino Magno imperante, qui rationem seu structuram regiminis, variavit in regionibus quae in orientem spectabant, dum in reliquis Imperii septentrionalibus plagis nihil est immutatum. Auctor dilucide demonstrat discrimina rei publicae inter orientem et occidentem, quae plerumque irruptionibus germanicis tribuuntur, saeculo IV percurrente clarissime facillimeque discerni posse.

BIELER, L. — *Geschichte der römischen Literatur*. Vol. I: Die Literatur der Republik. Pag. 153. Vol. II: Die Literatur der Kaiserzeit. Pag. 132. Ed. Walter de Gruyter, Berlin, 1972. DM 7.80.

In introductione auctor linguae latinae momentum significare contendit prout Roma per orbem dominationem suam amplificavit. Sed apud Prof. L. Bieler hoc est praecipuum discrimen inter "litteras romanas" et "litteras latinas": cum de "litteris romanis" agit, opera meminit clarissimorum Romae scriptorum plerumque lingua graeca exarata esse, dum praecipua opera latina magnopere valuerunt cum scriptoribus imperii in latinitatem subacti. Tria genera litteraria in antiqua urbe Roma excoluntur: Historia, Philosophia, Rhetorica. Genus in litteris liberum, quod fabula romanensis vulgo nuncupatur, incipit dialogis philosophicis et rhetoricis obnoxium. Litterae latinae decursu temporum christianae redduntur historiamque penetrant usque ad medium aevum. Primus operis libellus in duo capita dividitur: I. Litterae romanae usque ad mortem Scipionis; II. A Graccorum aetate usque

ad mortem Ciceronis. Ad alterum operis libellum quod spectat, en indicem lectores habent: III. Augusti aetas: a) Litterae earumque adjuncta; b) Praecipui magistri: P. Vergilius Maro, Q. Horatius Flaccus, Titus Livius, elegi vates, P. Ovidius Naso; IV. Aetas postaugustana; V. Nova et Vetera.

PARRY, A. — *Studies in Fifth Century Thought and Literature* (Yale Classical Studies 22). Ed. Cambridge University Press, 1972. Pag. XI-270. L. 4.80 net.

Hoc volumine non nullae de litteris atque cogitatis saeculo quinto apud athenienses disputationes continentur rationibus ac viis aliarum disciplinarum usurpatis ad retractationem habendam quaestionum magni momenti quae in studiis classicis agitantur. Quinque prima capita doctrinae socraticae de anima inquirendae, Protagorae retractando sub saeculi vicesimi luce, novae rationi conspiciendi Thucydidis historiam, investigationi psychanalyticae cujusdam personae dramaticae euripidiana, examini praecipui muneris mythi dicantur. Aliae insequuntur lucubrationes de duplici Antigoniae funere, de odis choralibus Baccharum apud Euripidem, de ratione orationum stilistica apud Thucydidem, de usu apparatus scientifici saeculo quinto Athenis, de paradoxo socratico quod in opere Hippolyto contineri videtur, de Samiae Menandri textu qui novo codice nuper vulgato amplificatus est. Tandem duae lucubrationes finem operi imponunt de critica textuali locorum, qui controversiis agitantur, ex Iphigenia in Aulide et Trachiniis excerptorum. Quae omnia a peritissimis in re viris conscripta magno in primis erunt adjumento iis qui litteris cogitatisque atheniensium saeculi quinti operam navare velint.

LAFARGUE, A. — *Vers une grammaire nouvelle*. Premier fascicule: *Le groupe-sujet. Le groupe du verbe: l'attribut*. Deuxieme fascicule: *Le groupe du verbe: le complement*. Troisieme fascicule: *Le groupe du verbe: le verbe, les temps du récit*. Livre du maitre 4, 5, 6. Ed. Hatier, Paris, 1970.

Prof. A. Lafargue id sibi proposuit et magistris et alumnis tradere: elementa novae quae vulgo nunc "structuralis" nuncupatur, cum majora in re linguistica commoda haec nova ratio afferat quam hucusque usitata grammatica "traditionalis". Proinde tres fasciculos alumnis praebet, quorum primo de subjecto, de epitheto, de appositione, de nominis complemento (Le groupe sujet), de attributo (Le groupe du verbe: l'attribut) agitur; in altero fasciculo de verbo, de vario verborum genere, de complementis (Le groupe du verbe: le complément); in tertio fasciculo de verbo ejusque temporibus (Le groupe du verbe: le verbe, les temps, les temps du récit) scitissime quoque agitur. Duos praeterea fasciculos magistris offert ubi luculente prooemio peracto materiam linguisticam per quaestiones, exercitia, commentaria alumnis evolvendam, magistri ad manus praesto habebunt ad correctiones et explicationes quod spectat, ita ut mira ratione labor alumnorum et professorum in scientificae lingua cognoscenda conveniat. Nihil magistri timoris habeant novamque rationem in tradenda lingua et grammatica temptare audeant fructusque ex ea insolitos jucunde percipient.

DELLA CORTE, F. — *Opuscula II*. Ed. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, Università di Genova, Facoltà di Lettere, 1972. Pag. 300.

Anno circiter peracto ex quo primum volumen opusculorum in lucem vulgatum est, clmus. Prof. Della Cor-



te alterum prodit quo lucubrationes de litteris latinis ad rei publicae aetatem spectantes collegit. Quae sequuntur indicem perspiciant lectores: Personaggi femminili in Plauto (p. 3); La commedia della fantasima (p. 17); Intorno alle "Saturae" di Ennio (p. 25); Catone Maggiore e i "Libri ad Marcum filium" (p. 33); L'ambasceria di Cratete a Roma (p. 49); Et in Arcadia ego (p. 51); L'età di Lucilio (p. 55); Per l'identità di Valerio Edituo con Valerio Sorano (p. 73); Marco Seio Nicanore, grammatico e poeta (p. 77); Varrone e Livio di fronte alla metrica tradizionale della scena latina (p. 81); Varrone metricista (p. 91); Per il testo delle "Menippeae" (p. 121); Rileggendo "Le Menippeae" (p. 135); Suspiciones (p. 143); Simposio varroniano (p. 157); L'altro Catullo (p. 165); Introduzione a Catullo (p. 267); Il giudizio di Pollione su Balbo Minore (p. 277); L'autore della cosiddetta Laudatio Turiae (p. 287); Il nuovo frammento F della [Laudatio... U] xoris (p. 291).

GUAZZONI FOÀ, V. — *La libertà nel mondo greco I*. Ed. Istituto di Filologia Classica e Medioevale, Università di Genova, Facoltà di Lettere, 1972, Pag. 140.

En liber de libertate apud graecos; qui eo magis est commendandus quo nihil amplius quam libertatem homines cujusque aetatis, et in primis nostrae expetere solent, quin omnes nos ejusdem verum sensum forsitan habeamus. Introductione peracta, V. Guazzoni Foà rem aggreditur investigandam hac via atque ratione. Sensu glottologico-semanticum libertatis exposito, historia quaestionis describitur: quid primum senserint philosophi aetatis praesophisticae de divina et humana libertate; quid deinde sophistae de eadem re existimaverint; quid denique de libertate quoque poetae et his-

torici scriptores habeant. Nihil est dubii quin res per se magni momenti a clama. magistra V. Guazzoni Foà tractata maxime lectoribus arrideat, cum adeo argumentum sit nostrae aetatis ut ab omnibus hominibus ut bonum optimum desideretur.

PALADINI, V. — DE MARCO, M. — *Lingua e Letteratura Mediolatina*. Casa Editrice Prof. Riccardo Patron, Bologna, 1970. Pag. 317. Lire 4400.

Transitus sane rerum exstat Medium Aevum. Quam indolem illius aetatis investigare sibi proposuerunt clmi. auctores ad rem linguisticam ac litterariam quod spectat, ut aliquam utilitatem afferrent scholasticis in primis universitariis. In amplissima enim verba dictione litteraria medii aevi Prof. Paladini et De Marco summam seu compendium efficere conantur praecipua illa tantum opera inquirendo quae specialem auctoritatem momentumque artisticum, historicum, litterarium haberent. Praefatione peracta, in duas opus partes dividitur quarum prima "*Lingua Mediolatina*" inscribitur, ubi de lingua litteraria et vulgari, de linguae litterariae elementis, de linguae evolutione, de generum litterariorum traditione atque innovatione peritissime agunt auctores. In altera vero parte cui est index "*Letteratura Mediolatina*", litterae barbarae, carolinae, feudales, scholasticae, cruditae pertractantur. Indice linguistico rerum notabilium nominumque explicit liber.

ZIEGLER, K. — *Plutarchi Vitae parallelae. Vol. III. Fasc. 1*. Ed. Bibliotheca scriptorum graecorum et romanorum Teubneriana, Leipzig, 1971.

In hoc Plutarchi volumine tertio hae Vitae Parallelae continentur: I. Demetrius et Antonius; II. Pyrrhus et Marius; III. Aratus et Artaxerxes; IV. Agis Cleomenes et Ti. et C. Gracchi; V. Ly-

curgus et Numa; VI. Lyssander et Sulla; VII. Agesilaus et Pompeius; VIII. Galba et Otho. Cum haec in primis critica sit editio, totum prooemium rebus criticis dicavit auctor, qui magna industria ac peritia praecipuos codices ejusque historiam pertractat qui exstant ut Codex Sangermanensis vel Coslinianus 319, Codex Laurentianus plut. 69, Codex Palatinus Gr. 283, Codex Vaticanus Urbinas Gr. 97, Codex Marcianus Venetus Gr. 386. Deinde textus insequitur graecus Vitarum Parallelarum, quas antea memoravimus, selecto apparatu critico instructus. Opus, paucis verbis, utique maturum prout iterum recensitum a Prof. K. Ziegler aetate jam propecta, nam ut ipsius verbis patet: "nunc senex eundem (fasciculum) iteratis curis editurus id unum habeo commemorandum me non solum id egisse, ut textum emendatiorem si fieri posset, lectoribus proponerem, sed etiam ut testimonia reviderem examinarem augerem".

RIBEIRO FERREIRA, J. — *Euripides: Andrómaca*. Ed. Instituto de Alta Cultura, Centro de Estudos Clássicos e Humanísticos, Faculdade de Letras, Universidade de Coimbra, 1971. Pag. XIX-298.

En nova Andromacae euripideae editio quae ab omnibus jure meritoque, ut censemus, probabitur, etsi opus ad lauream in Philologia Classica obtinendam ab auctore oblatum sit. Praeterea quod una e praecipuis Euripidis fabula dramatica videatur, scita introductione praemunitur in qua haud paucae quaestiones proponuntur: quando Andromacae drama, si elementa historica, metrica, linguistica perpendimus, conscriptum sit; quo loco haec fabula in scaenam sit edita; quo nova ratione antiquus mythus retractetur; quo modo personae dramatis describantur; quae fabulae euripideae sit structura prologo, parado, stasimis omnibus ceterisque

fabulae elementis accuratissime exploratis. Praeterea acerrima adversus Spartiatis impugnatio fabulae dramaticae significatur, nec non belli detestatio; non nulla contraria notantur inter barbaros et graecos, inter dominos et servos, inter moderationem et luxuriam. Scita introductione peracta, versio vernacula sequitur quae nobis profecto arridet cum castigatam perspiciamus. In extremo opere annotationes prostant quibus loci fabulae euripideae illustrantur. Indices demum nominum rerumque per utile reddunt opus.

VARIOS. — *Estudios sobre el mundo helénico*. Ed. Publicaciones de la Universidad de Sevilla, 1971. Páginas 180-XII láminas.

Per utile ducimus lectoribus Palaestra Latinae notitiam praebere hujus voluminis ab Universitate Hispalensi in lucem editi; quo acroases anno academico 1969-1970 perdurante habitae collectae sunt. Sex lucubrationes continentur quarum indicem saltem cum brevissimo commentario praebeamus oportet: 1. *Aspectos de la Religiosidad helenística* (p. 11-31). Prof. Alsina Clota explicare nititur praecipuas universasque causas quibus fieri potuit evolutio seu immutatio religionis religiositatisque graecae; 2. *Tendencias de la Historiografía helenística* (p. 33-35). Prof. A. Díaz Tejera hoc sibi proposuit inquirere quae fuerint studia aetatis hellenisticae prout in historiographia patet; 3. *Economía del mundo helenístico en Polibio* (p. 57-87). Prof. J. M. Blázquez Martínez fontibus Polybii fretus ostendere contendit divitias condicionesque oeconomicas orbis aetatis hellenisticae praecipuas regiones Polybio duce perlustrando; 4. *La Épica helenística* (p. 89-120). Prof. L. Gil Fernández praejudicatam opinionem labefactare innititur ex argumentis poetarum in primis Apollonii ("Argonautica") vates aetatis hellenisticae non plu-

rimum poesi epica praestitisse; 5. *Los Papiros y la Literatura del Egipto helenístico* (p. 121-150). Prof. M. Fernández Galiano papyrorum ac litterarum ope Aegyptum ejusque imaginem hellenicam vivide effingit ad vitam humanum cultum aliaque instituta quod spectat; 6. *El mosaico de Mérida con la alegoría del "Saeculum aureum"* (p. 151-178). Prof. A. Blanco Freijeiro opus musivum Emeritae anno 1966 inventum scite describit ejusdem sensum cosmogonicum quo "Saeculum aureum" adumbratur significans.

RUDHARDT, J. — *Le theme de l'eau primordiale dans la mythologie grecque*. Ed. Francke, Berne, 1971. Pag. 138.

En magni momenti liber ad mythologiam classicam quod spectat. Mythus enim scitissime ille investigatur mundum ex massa quadam "aquae primoris" seu initialis originem duxisse. Prof. J. Rudhardt in duas praecipuas partes investigationem dispertitur; prima autem parte aquae primoris argumentum inquit in mythis seu rationibus cosmogonicis non homericis: quid de re Thales cogitet, quid sit cosmogonia orphica juxta Hieronymi et Hellenici sententiam; quid mythi videantur de chao primaevo; qua interpretatione cosmogonica mythus Protei significandus sit; quid de summis diis fluvialibus qui in Hesiodi cosmogonia apparent; quae sit Pherecydis cosmogonica explicatio. In altera dein parte "aqua primoris" investigatur ita ut apud Homerum aliosque fontes similes constat: omnia plane originem traxisse ex Oceano et Tetide, qui inde a primordiis universi in omnibus eventibus cosmogonicis interfuerunt. Opus per utile redditur indicibus qui in extremo volumine prostant locorum, auctorum, librorum, figurarum argumentorumque mythicorum.

GIOVANNONI, G. — *La tecnica della costruzione presso i Romani*. Bardi Editore, Roma, 1972. Pag. 142. Tav. XXIII. Lire 5000.

Magno erit adjumento hic liber manualis iis praesertim qui disciplina architectonica romanorum sese edoceri velint. Quanta enim fuerit praestantia virtusque romanorum in exstruendis omne genus aedificationibus, qui legerit hoc volumen perspiciet. Prima ac praecipua elementa tradit auctor architecturae romanae summa in exponendo claritate summaque argumentorum rerumque copia atque eruditione. Singula capita dicantur muris, arcibus, cameris, aedificiis cameratis, aedificiis cum tectis ligneis, architecturae spaciali, instrumentis mechanicis ad opera perficienda, pontibus, viis stratis, aquae ductibus, cisternis, aggeribus, cloacis, munitionibus militaribus ceterisque quae plurimum cognosci interest. Tabulae XXIII quae in extremo opere prostant haud parva luce argumenta conspergunt, cum praeter selectas rerum architectonicarum imagines scitis explicationibus singillatim illustrentur.

D'AGOSTINO, V. — *L. M. Tullio Cicerone, Laelius de amicitia*. 3.<sup>a</sup> ediz. riveduta. Societa Editrice Internazionale (SEI), Torino, 1971. Pag. 176. Lire 1000.

Gratissimo sumus animo erga Prof. V. D'Agostino quod hac tertia editio ne nos donavit operis ciceroniani cui Laelius de amicitia est index. Nobis plurimum arridet scitissima ac luculentissima introductio, ubi clmus. auctor de tempore quo *Laelius* exaratus est agit, de ejus quoque argumento, de amicitiae significatione apud antiquos, de modo quo intellexerunt amicitiam, de conscientia morali aetatis ciceroniana, de opportunitate in tractanda amicitia, de operis fontibus, de iis quibus

destinatum est, de viris qui in dialogo conveniunt: Laelius Scipio Aemilianus, Scaevola augur, C. Fannius, de forma colloquiali, de opusculi vitiis ac virtutibus, de dialogi hodierna praesstantia ac momento, de codicibus. Textus latinus in quindecim quasi capita distribuitur quo Ciceronis cogitatus melius commodiusque intellegatur, notulis per opportunis stilisticis, grammaticis, historicis, politicis illustratur. Nemo infitiri potest quin hoc opere Prof. V. D'Agostino eximius Ciceronis interpres exstiterit, hac nostra quidem aetate, qua homines hodierni omnes amicitiam desideramus, expetimus, colimus, etsi saepius virtutem obliviscimur fundamentum esse amicitiae tanquam condicionis omnino necessariae ad vitam hominum sociale.

PETRONE, G. — *La battuta a sorpresa negli oratori latini*. Palumbo Editore, Palermo, 1971. Pag. 132. Lire 1800.

En habes, lector, investigationem cujusdam formulae stilisticae quae in eo consistit ut dictum praeter expectationem promatur. Quod plerumque ridiculi genus auctrix hujus libri ad opera Ciceronis primum circumscripsit ut id investigaret; sed postea in universam rhetoricam latinam amplificavit, cum saepius apud scriptores omne genus formula esset usitatissima. Quid sit locutio seu dictum insperatum (*ἀπροσδόκητον*), quaenam ejusdem causae ultimae videantur, quam significationem illi dicto insperato rhetores tribuerint, haec omnia erudite dilucidantur. Quamplurima exempla primum afferuntur quae ante Ciceronem in aliis scriptoribus inveniuntur praesertim in scaenicis. Deinde dictum insperatum in orationibus ciceronianis inquiritur ita ut maxima illorum dictorum pars locos orationis constituat facetissima vi et ironia imbutos. Duplex hujus dicti genus apud Ciceronem a

G. Petrone exploratur: *ἀπροσδόκητον* ironicum et *ἀπροσδόκητον* negativum. Denique alia exempla Ciceroni posteriora enucleantur. Liber per utili locorum memoratorum indice finitur.

PAANANEN, U. — *Sallust's politico-social terminology*. Ist Use and Biographical Significance. Ed. Suomalainen Tiedekatemia, Helsinki, 1972. Pag. 128.

Id sibi proposuit U. Paananen significationem sensumque investigare semanticum atque contextum historicum quorundam vocabulorum politicorum et socialium quae a Sallustio usitata sunt. Hujus operis auctor inquirere quoque voluit analysis ope altioris quid in scriptis sallustianis contineretur, quaenam sit potissima causa qua Sallustius putetur per honorum decursum in certa factione militasse, num jure popularium factioni nomen suum dedisset, quo pacto Sallustius homo novus posset appellari. Vocabula quae singillatim explorantur haec sunt: *populus, plebs, nobilis, nobilitas, pauci, factiosus, partes, boni, homo novus*. Horum vocabulorum discrimen magno esse potest adjumento investigatoribus atque Sallustii studiosis qui forsitan variare atque immutare debent opinionem de quibusdam rebus historicis atque sententiis quae Sallustio nec merito nec jure sint attributae. Labor P. Paananen summa cura scientifica perfectus est, cum in recentissima bibliographia et in operibus aliorum in re peritorum innitatur.

DI MACCO, M. — *Il Colosseo. Funzione simbolica, storica, urbana*. Bulzoni Editore, Roma, 1971. Pag. 452.

Pulcherrimum sane volumen Romae prodidit Bulzoni editor a Michæla Di Macco exaratum. Vita historica Colossei ejusque interpretatio urbanistica hoc opere significatur. Praeter

singulare argumenti momentum, hunc librum aestimemus oportet tanquam exemplum ad historicam monumentorum restitutionem faciendam quod attinet. Nam monumentum, ut artis opus, semper aliquid urbanum exstat, fructus est humani cultus rationumque technicarum, rem politicam urbis urbemque configurat ipsam. Ope fontium historicorum, litterariorum, artistorum M. Di Macco fortunam inquit Colossei romani multiplicemque interpretationem decursu temporum ex investigationibus eruit: interpretationem scilicet mediaevalem quae e rationibus historicis ac politicis oritur (Colosseum = Templum Solis, Daemonum Templum), interpretationem humanisticam cui Colosseum exemplar architectonicum et archaeologicum admirationem movet, interpretationem quodam modo sacram (Colosseum = templum martyrum), interpretationem romanticam, interpretationem recentiorum cum ad saeculum elapsum nostramque ad aetatem pervenitur et assurgit ut vera insula inter motum hominum atque celeritatem. Opus magnopere honestatur 213 imaginibus photographiis et picturis. Et ut argumentum perficiatur, appendicis instar scriptum Caroli Fontana "L'Anfiteatro Flavio" in extremo volumine prostat. Imaginum et illustrationum explicatio nec non index nominum felicem operi finem imponunt.

HOURLIN, G. — *Bonhoeffer, Una Iglesia para mañana*. Ed. Studium, Madrid, 1972. Pág. 146.

D. Bonhoeffer, ad religionem quod spectat, in ore omnium in praesentia versatur; nihil profecto mirum, cum militans, praecursor, propheta, martyr fuerit. Hujus modi tamen homines in periculum vocantur ne huc illuc deferantur ab omnibus neque eorum sententiae apprime intellegantur, adeo ut signum studiorum quorumlibet huma-

norum quamvis contrariorum efficiantur. Quapropter G. Hourdin vera D. Bonhoeffer personam nobis vult vindicare. Itaque prima operis parte breviter sed vivide ejus biographiam adumbrat in qua D. Bonhoeffer sua animi ingeniique condicione, sua aetate suisque adjunctis humanis conversari videmus. In altera autem parte nuntium bonhoefferianum suscipimus: politicam christifidelium libertatem, mortem Dei, Ecclesiam. Paucis verbis: scita argumentorum praecipuorum atque agitatissimorum selectio. Fieri tamen non potest ut hujus modi argumenta opportune collocentur praeter adjuncta historica quibus D. Bonhoeffer vita percurrit. Quotidie enim Hitler minime obvius fit, sed Hitler ("Führer") nequaquam est praetereundus cum D. Bonhoeffer in ditione politica proprium locum tenere debet. Hac ratione ac via hujus opusculi auctorem ducimus tutissimam confecisse viam veramque nobis imaginem D. Bonhoeffer effinxisse.

OXFORD LATIN DICTIONARY. — *Fascicle III Demiurgus-Gorgoneus*. Ed. Oxford University Press, 1971. Pag. 513-768.

Primum et secundum fasciculum hujus lexi latini Universitatis Oxoniensis superioribus Palaestrae Latinae libellis (n. 206 et 212) recensuimus; quae ibi de opere notavimus eadem ferre repetere nunc debemus. Paucis verbis: verum in lexicographia latina monumentum. Verba triplici columna apparent nitidae variaeque typorum formae mandata. Unumquodque vocabulum ad originem etymologicam quod attinet anglica explicatione exornatur; non nulli scriptorum latinorum loci, in quibus vocabula constant, memorantur atque afferuntur. Notanda ducimus in primis quae sequuntur vocabula cum ex eorum momento in lexicographia tum ex modo quo tractata sunt: *de-*

*miurgus, demonstro, denuntio, depello, depono, deprecor, deprehendo, descendendo, destituo, dico, dies, dimitto, divido, divus, dubito, duco, educo, effero, efficio, effundo, emitto, enim, eo, ergo, erratum, et, ex, excipio, excutio, exeo, exigo, exitium, extra, facilis, facio, fallo, fama, finio, finis, fio, firmo, firmus, flos, forma, fortuitus, fovea, frango, frons, fugio, fundo, gens, genus, gero, gigno.* Faxit Deus ut editores hujus magni lexicæ editionem reliquorum fasciculorum maturent quibus adaugeatur et locupletetur latinitas latinis studiosi hoc opere magno pere adjuventur.

VIALAR, P. — *Intenta ser un buen deportista.* Ed. Studium, Madrid, 1972. Pág. 72.

Jure hoc opusculum aestimamus optime susceptum iri a juvenibus quibus corporis exercitatio fons est valetudinis sui que superandi causa. Tamen opusculi auctor pellucide ostendit corporis exercitationem esse posse tanquam "linguam" apud Aesopum vel optimam vel pessimam omnium rerum. En investigationem habetis de quadam virtute physica ac moralis hominis, cujus excellentiam simul atque maximis extollit laudibus, ejus tamen vitia quoque vehementissime improbat. Librum per utilem fore putamus cum iis qui corporis exercitationibus vacant tum parentibus, magistris, juvenum institutoribus, ducibus educationis physicae qui pueros optime de re admonitos habere debent.

CULLMANN, O. — *Verdadero y falso ecumenismo.* Ed. Studium, Madrid, 1972. Pág. 96.

O. Cullmann, in Universitate Basileae et Lutetiae Parisiorum Professor et in recentibus theologis nobilissimus, qui triginta abhinc amplius annos impensissimam navat operam Ecclesiis

conjungendis, in tribus disputationibus quae hoc volumine continentur periculum significat quod, ultimo Concilio peracto, sibi videtur cuidam oecumenismo recentiori imminere, scilicet, fundamenta relinquere fidei christianae. In his lucubrationibus Concilium et Oecumenismum rite collocat in via quae certo ad Bibliam et ad Ecclesiae historiam ducit. Sic ipse munus charismaticum et oecumenicum novatorum in studiis biblicis videt, dum idem munus catholicorum in universalitate contemplatur; unde concludere licet oecumenismum, non tantum tanquam metam ultimam persequi debere unionem Ecclesiarum quantum veram in diversitate unitatem, ita ut quaeque Ecclesia proprio charismati fidelis ceterarum Ecclesiarum charismati obsequens perseveret summaque eas reverentia prosequatur.

BERNACHON, P. — *Niños y adolescentes fatigados.* Ed. Studium, Madrid, 1972. Pág. 16.

Prof. P. Bernachon, clmus. paediatra, Societatis francogallicae medicorum psychosomaticorum membrum, medicinam exercet universam quae sibi videtur via expeditissima ad singulas puerorum et adolescentium quaestiones persolvendas. Pueri namque et adolescentes quam plurimis virium infirmitatibus laborant quae tum ex origine organica tum e causis psychologicis vel socialibus oriri videntur. Virium contentio seu debilitas saepius difficultatibus scholasticis et familiaribus tribui debet. Examina ergo altiora et validiora medicamenta minime sufficiunt sed medicamine psychoterapico sunt perficienda. Indicem operis lectoribus praebeamus: I. *Evolución somática y psíquica del niño y del adolescente*; II. *Estudio fisiológico de la fatiga*; III. *Diagnóstico de la fatiga*; IV. *Fatigas orgánicas*; V. *Fatigas y trastornos*

*neuropsíquicos y sensoriales. VI. Factores sociales de la fatiga; VII. Profíaxis y tratamientos de la fatiga.*

LEGRAND, L. — *Psicología aplicada a la educación intelectual*. Ed. Studium, Madrid, 1971. Pág. 190.

Omnis paedagogus quodam modo eximius exstitit psychologus. Itaque semper fuit psychologia quaedam, quae intuitiva nuncupetur, aestimabilis experientiae fructus, in quottidianis et usitatis technicis paedagogicis. Praeterea tamen recentissima psychologiae scientificae et paedagogiae experimentalis inventa magni sunt habenda. Hunc igitur librum tanquam instrumentum esse voluit auctor professoribus, magistris, parentibus, qui instituendis pueris et adolescentibus vocantur; liber manualis est psychologiae, ubi summa cognitionum et conaminum colligitur, quae ex hujus modi scientiis ac disciplinis sunt percepta. Huc accedit quod librum utilissimum voluit auctor, qui, cum psychologiae leges vitae atque experientiae accommodari debere recte sciat, ipse post unumquodque caput non nullas simplices significat experientias quae cum superioribus rationibus et explicationibus theoreticis conveniunt.

PEREIRA, C. — *Palabras a la juventud*. Tomo I: *El año litúrgico*. Página 240. Tomo II: *Temas juveniles*. Pág. 260. Ed. "Sal Terrae", Santander, 1966.

Sacerdotes in primis qui saepissime eosdem debent juvenes adhortari grato animo suscipient hoc opus quo CXX argumenta colliguntur ut juvenibus proponantur. Quadraginta viri in eo conscribendo communem operam contulerunt; unumquodque caput antea verbum vivum exstitit juvenum coeti-

bus destinatum; quamquam hanc scriptorum multitudinem scimus quasdam habere difficultates ad operis unitatem quod attinet, tamen hujus modi varietas plura commoda conferre potest. Editio hispanica duobus voluminibus prodiit. Primum anno liturgico dicatur: dominicis et diebus Domini, Sanctorum, Virginis festis. Altero argumenta ad juventutem pertinentia pertractantur. Extremo opere index rerum atque argumentorum prostat, qui materiam in tres annos ad praedicandum vel meditandum sufficientem suppeditat.

MARCHI, R. — *I passatempi dei romani antichi*. Casa Editrice Ceschina, Milano, 1971. Pag. 188.

R. Marchi, scriptor liburnus, hac fabula romanensi "*I passatempi dei romani antichi*" inscripta quasi trilogiam fabularum persolvit, nam antea jam duas in lucem alias fabulas ediderat, quibus index "*Via Eugenia 1900...*" et "*Il neutralista*". Quanquam hujus fabulae romanensis tertiae eventus et adjuncta plane videntur dissimilia, praecipuae tamen personae quadam necessitudine spiritali et physica cum superioribus fabulis conveniunt. Antaeus Sparapani miles, a Sontio flumine redux, "subucula nigra" ("camicia nera") repente factus, cui insolens animus tuscus est, aetatem illam, qua fascistarum doctrina et lex plurimum apud cives Italiae invalescebat, agit. Homo in quo animi nobilitas inest atque turpitude, ridiculus, ambiguus, particeps est cujusdam festivi coetus hominibus novis confertissimi, qui tamen facile dignosci possunt, et inter quos raptus apparet atque involutus eadem machina quam ipse concitaverat. Antaeus — persona tragica aetatis lacrimabilis historiae italicae — annos illos significat 1922-1933, quibus plurimi itali promiscuam vixerunt vitam gloria, injuria, insania, spe, dolore refertissimam.

PENDLEBURY, J. D. S. — *The Archaeology of Crete. An introduction.* Ed. Methuen et Co Ltd., London, II New Fetter Lane, EC4. Pag. XXXII-400, Plates XLIII.

Jam diu quam plurimum apud disciplinarum archaeologicarum studiosos atque peritos hoc opus praestitit tanquam praecipua introductio ac via ad ingrediendum humanum cultum cretensium jam inde a longissimis temporibus usque ad aetatem romanorum. Auctor argumentum subtiliter pertractat ordinem apprime historicum insectus, ita ut, quam facillime fieri potest, per amplius conspectus hujus praestantissimi cultus cretensis habeatur. Totius ergo operis indicem quem cognoscant lectores praebeamus: ABBREVIATIONS. INTRODUCTION. NOTES ON RECENT ATTEMPT TO UPSET THE ACCEPTED SEQUENCE OF PERIODS. I THE ISLAND: A. PHYSICAL CHARACTERISTICS. B. ROUTES AND TOPOGRAPHY. APPENDIX A: ANCIENT AUTHORITIES OF ROUTES. APPENDIX B: MODERN MAPS AND CHARTS, ETC. MEANING OF VARIOUS NAMES. II A. THE NEOLITHIC PERIOD. B. THE EARLY MINOAN PERIOD. III THE MIDDLE MINOAN PERIOD. IV THE LATE MINOAN PERIOD. V A SURVEY OF THE MINOAN CIVILIZATION. VI POST-MINOAN CRETE. SELECT BIBLIOGRAPHY. ADDENDA. INDEX. Liber qui primum anno 1939 in lucem vulgatus est, accuratissime nunc est retractatus. Notanda in primis ea ducimus omnia quibus opus illustratur: XLIII prostant in extremo volumine paginae CXXXVIII imaginibus photographis praeditae; praeterea LIII li-

neamenta et XXIV chartae geographicae per universum opus inseruntur. Hunc accedunt appendices indicesque quibus liber utilissimus redditur.

DEL RE, R. — *Seneca: Operete Morali.* Vol. primo: *Della Provvidenza, Della Costanza del Saggio, Della Tranquillità dell'anima, Dell'Ozio.* Pag. XXIV-220. L. 3.000. Vol. secondo: *Dell'Ira, Della Clemenza.* Pag. VI-350. L. 3.000. Vol. terzo: *Consolazione per Marzia, Consolazione per la madre Elvia, Consolazione per Polibio, Della vita felice, Della brevità della vita.* Pag. VI-370. L. 3.000. Ed. Zanichelli, Bologna, 1971.

Climus. Prof. Raphael Del Re, textum Senecae a Dourgens, Waltz, Préchac in corpore "LES BELLES LETTRES" inscripto recensitum secutus, pulcherrimam jucundissimamque nobis paravit editionem scita introductione de re universa apud Senecam tractanda, singulis proemiis quae singulis tractatibus Senecae respondent, castigata hodiernaque interpretatione italica quae severissimis lectoribus criticisque probabitur, brevibus sed utilibus annotationibus affabre instructam. Haec opuscula Senecae de rebus ad mores pertinentibus sunt tractatus, ubi non tantum regulae ad recte vivendum continentur sed consolationes in primis praebentur animis maestis sollicitisque, quod apud ethnicos philosophorum munus officiumque erat. Quorum opusculorum omnium memoriam tantum atque argumentum meminerint lectores: "*De providentia*", ubi quaestionem Seneca agit illam disputatissimam quam ob rem boni tanta patiantur mala cum omnia providentia contempletur; "*De constantia sapientis*", quo tractatu Annaeo Sere-no dicato de contumeliis injuriisque agit ab aliis in nos inflictis, quae, si nos



vere sapientes sumus, neutiquam laedere nobis possunt; “*De tranquillitate animi*”, ad assequendam in primis animi pacem per longam descriptionem eorum praesertim hominum qui vitiis ignaviaeque nimis indulgent; “*De otio*”, ubi Seneca maximis extollit laudibus otium vitae contemplationi deditae longissime a publicis negotiis absentis. In secundo volumine haec opuscula continentur: “*De ira*”, in quo tractatu irae natura singillatim minuteque describitur praecipuaque memorantur remedia quibus ea curari vel saltem mitigari possit; “*De clementia*”, ubi Neronem in clementiam adhortatur tanquam virtutem in qua princeps potissimum debet exerceri. In tertio tandem volumine haec consolationis argumenta attinguntur: “*Ad Marciam de consolatione*”, ubi nobilissimam feminam romanam consolatur quae Metilium tertium jam annum emortuum desperanter lugebat; “*Ad Helviam matrem de consolatione*” propter filium ipsum Senecam exilio in Corsica damnatum; “*Ad Polybium de consolatione*”, ubi Seneca Polybium, validissimum Claudii libertum atque administrum, adulantibus verbis sibi devincire conatur ut quam primum Romam revocetur; “*De vita beata*”, quo tractatu Seneca sententiam stoicorum adversus epicureorum sectam propugnat vitam scilicet beatam juxta naturam seu proinde juxta virtutem ducendam esse, sese autem defendens cum virtutem ait necessario non excludere quendam prudentem divitiarum fortunaeque donorum usuram; “*De brevitae vitae*” demum opusculo philosophus vitam existimat non tantum ex se brevem esse quantum et brevem eam efficitur cum nos tempus terimus in negotia et studia et curas incumbentes quae minime juvant animum, dum optima temporis usura in eo esset ut ad cogitandum, ad philosophiae vacandum —quod attingere est sapientiam— nos ultro conferremus. Quae forsitan

una ratio legendi Senecam videatur; qui autem ita opera senecana lustraverit, in eis certo inveniet per amplam cogitandi materiam et argumenta, elementa ad humanum cultum assequendum et in primis praecepta ad recte beateque vivendum.

CLAVEL, M. - LÉVÊQUE, P. — *Villes et structures urbaines dans l'occident romain*. Ed. Armand Colin, Paris, 1971. Pag. 360.

Monica Clavel et Petrus Lévêque, Prof. Historiae Antiquae, hoc conscripserunt opus ad urbes urbanasque structuras investigandas quas in plagis ad occasum solis vergentibus romani aedificaverunt. Quae oppida urbesque cum in primis rationibus potissimum militaribus et oeconomicis responderent, validissimum exstiterunt fundamentum ad illos populos occidentis romanos efficiendos. Jam inde ab rei publicae aetate usque ad imperium decidens urbs seu oppidum tanquam structura quaedam dinamica in spatio provinciali evolvitur; fragilis tamen conformationis videtur corpus seu institutio urbana, quae in mediis viarum stratarum retibus quam plurimis sita imperii simul pericula vicissitudinesque magnopere subit. Hujus modi oppidum omnis securitatis expers ex aperto munitum redditur; quamvis autem in se ipso consistit, optimus restare videtur nucleus, ubi ea omnia conveniunt quae ad rem militarem, oeconomicam, sociale, spirituale attinent. Finem operi recensendo imponamus indicem praebendo lectoribus: PREMIÈRE PARTIE: L'ÉVOLUTION HISTORIQUE. 1: L'époque républicaine; 2. Le Haut-Empire; 3. Le Bas-Empire. DEUXIÈME PARTIE: LE CADRE URBAIN. 4. L'urbanisme occidental; 5. Les édifices publics; 6. Les arts plastiques dans le cadre de la ville; TROISIÈME PARTIE: LE CA-

DRE INSTITUTIONEL. 7. Les institutions municipales; 8. Le droit de cité; QUATRIÈME PARTIE: LES STRUCTURES SOCIO-ECONOMIQUES. 9. Les bourgeoisies urbaines; 10. Le monde du travail; 11. Les villes et le développement du commerce; 12. La vie intellectuelle; 13. La vie religieuse. ORIENTATION BIBLIOGRAPHIQUE. INDEX.

CHUMILLAS, J. — *Cursillo de adolescentes. Catequesis para los 12/14 años.* Ed. Marova, Madrid, 1971. Páginas 104.

Pueri et puellae, 12/14 annos nati, novam ingrediuntur aetatem; quam ob rem nova eis praebenda est institutio, nam praeadolescentes qui dicuntur superiorem aequilibrii stabilitatisque psychologicae aetatem jam superarunt, sed nondum adolescentium aetatem attigerunt. En aetas in qua amicorum fa-

miliae glomerantur et florent. Proinde si veram efficacemque praeadolescentium catechesim perficere volumus, hujus modi familiae seu turmae puerorum naturaliter conflatae omnino sunt conservandae ut institutio praebetur quae cum eorum communibus necessitatibus conveniat. Hoc igitur libro catechesis commodatur per ultimos dies hebdomadas vel per paucos dies feriatos distribuenda de rebus et argumentis quae maxime puerorum interest cognoscere; his coetuum occasionibus datis pueri responsa suscipient atque explicationes quae e fide christiana manant, ut quaestiones magni momenti ad vitam quotidianam pertinentes nova illustrentur luce in iis quae, exempli causa, ad amicitiam, ad incrementum sive animi sive corporis, ad futuram sponsonem in Ecclesia faciendam, ad animi relaxationes spectant.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

JARRY, A. — *Education artistique. A la découverte des arts plastiques*. Ed. Hatier, Paris, 1970. Livre du maître. Livre de l'élève.

En novum opusculum corporis cui est index "Les techniques vivantes de la classe"; a prof. A. Jarry exaratum instituendis pueris destinatur in artibus plasticis quae vulgo nuncupantur. Opus duobus fasciculis constituitur, quorum alter alumnis, alter professoribus dicatur; uterque vero e foliis constat in unamquamque lectionem habendam. Indicem perspicere licet, ubi haec argumenta notantur: 1. *Formes et couleurs*; 2. *Analyse des formes, des valeurs, des couleurs*; 3. *Rythmes de formes, de valeurs, de couleurs*; 4. *Les objets dans l'espace: leur aspect, leur décor*. Quod ad magistri fasciculum attinet, en ratio systematica quae in unoquoque folio ad habendam scholam proutat: 1. *But pédagogique*: ubi perspicue constat quid sibi magister proponere debeat in quamque scholam ad oculos, manus, mentes alumnorum instituendos; 2. *Références*: decreta rei publicae de re memorantur nec non selecta bibliographia; 3. *Documents*: quobus uti possint cum professoribus tum alumni (libri, lexica, imagines photographicae, imagines luce projiciendae, taeniolae cinematographicae, res et animantia consideranda, cet.); 4. *Conditions matérielles à assurer*: seu instrumenta necessaria cum alumnis tum professoribus; 5. *Déroulement de la séance de T.D.*: seu ratio uniuscujusque scholae per varia ac diversa exercitia evolvendae. Liber pro alumnis eis folia praebet quibus uti debent ad omnia exercitia peragenda magistris moderantibus.

BABIN, P. — *He aquí el hombre. Libro del joven*. Ed. Marova, Madrid, 1971, 12 fascículos. Pág. 192. 150 pesetas.

BAGOT, J. P. — CAMPEAUX, B. — *He aquí el hombre. Reflexiones y orientaciones pedagógicas*. Ed. Marova, Madrid, 1971. Pág. 244. 150 ptas.

Quamplurimis juvenibus extrema adulescentia aetas per opportuna esse solet ut unusquisque annorum superiorum cognitiones, sensa, cogitata quasi in summam redigat revocet retractet. Quod de rebus apud juvenes non sacris, idem de religiosis est dicendum. Hac enim aetate quodam modo fides cuique christifideli propria sponte reficienda est neque deinceps ex hereditate vivendum sine privata singularique experientia religiosa. Cum tamen medulla fidei universaeque doctrinae christianae sit Christus, ab eo plane discedendo omnis retractatio atque restitutio est perficienda. Quapropter hujus operis auctores Christum hominibus nostrae aetatis coram inducere voluerunt et in primis juvenibus, qui mysterio Christi agnoscendo vacarent sive in curriculis institutionis religiosae, sive in secessibus spiritualibus, sive in parvis juvenum familiis seu coetibus. Liber ad institutorum usum eos quasi manu ducit per primam partem seu introductionem universam ad hujus modi catechesim juvenum perficiendam; altera vero parte explicatur quo modo pertractanda sint argumenta quae juxta indicis tenorem juventuti proponuntur: 1. *Jesucristo ¿por qué?*; 2. *He aquí el hombre*; 3. *El Evangelio, ¿relato histórico?*; 4. *Cristo y la moral*; 5. *¿Hay que ser revolucionario?*; 6. *No al fracaso*; 7. *¿Por qué creo?*; 8. *El Evangelio compartido hoy*; 9. *Milagros, ¿sí o no?*; 10. *La Misa ¿para qué?*; 11. *¿Qué es un cristiano?*; 12. *Descubrir es hacer algo*; 13. *Comunicarse*; 14. *Orar y/o vivir*; 15. *¿Quién es Dios?*

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# TEXTOS PALAESTRA LATINA

GRAMATICA GRIEGA, Planque, Aneme, Lerniaux, 2. <sup>a</sup> ed.	100'—
GRAMATICA LATINA, J. Delgado. (Agotada) ... ..	70'—
REPETITORIUM, J. Delgado ... ..	70'—
DE ORTHOGRAPHIA LATINA, J. Delgado ... ..	20'—
INDEX ORTHOGRAPHICUS, J. Delgado ... ..	6'—
CICERONIS PRO ARCHIA ORATIO, J. Delgado ... ..	20'—
CICERONIS IN CATILINAM ORATIO PRIMA, J. Delgado ... ..	20'—
HISTORIAE SACRAE COMPENDIUM, J. Delgado ... ..	20'—
EPITOME HISTORIAE GRAECAE, J. Delgado ... ..	20'—
CICERONIS EPISTULAE SELECTAE, J. Mir ... ..	20'—
VIRGILI AENEIDOS LIBER II, E. Martija ... ..	20'—
PRUDENTI CARMINA SELECTA, E. Martija ... ..	20'—
CORNELI NEPOTIS VITAE, M. Ramos ... ..	20'—
CICERONIS PRO Q. LIGARIO ORATIO, M. Ramos ... ..	20'—
MARTIALIS EPIGRAMMATA, R. Sarmiento ... ..	15'—
HORATI CARMINA SELECTA, Zuloaga ... ..	20'—
HOMERI ODYSSEA, Lib. I, D. Ruiz ... ..	25'—
XENOPHONTIS ANABASIS, M. Ramos ... ..	25'—
NOVA VERBA LATINA, J. Mir ... ..	500'—

Pedidos a:

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

---

---

## Fundació Bernat Metge

### SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 177 Aristòfanes - Comèdies (vol. II)
- 178 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. V)
- 179 Isòcrates - Discursos (vol. I)
- 180 Ovidi - Amors
- 181 Aristòfanes - Comèdies (vol. III)
- 182 Cal·limac - Himnes

Subnotationes mittantur ad:

**EDITORIAL ALPHA, S. A.**

Vía Layetana, 30 - BARCELONA